

Bodleian Libraries

UNIVERSITY OF OXFORD

This book is part of the collection held by the Bodleian Libraries and scanned by Google, Inc. for the Google Books Library Project.

For more information see:

http://www.bodleian.ox.ac.uk/dbooks

This work is licensed under a Creative Commons Attribution-NonCommercial-ShareAlike 2.0 UK: England & Wales (CC BY-NC-SA 2.0) licence.

9. O. 148.

OPERE
DEL
MAFFEI

TOMO XX.

IN VENEZIA MDCCXC.

PRESSO ANTONIO CURTI Q. GIACOMO

CON APPROVAZIONE.

GALLIÆ
ANTIQUITATES
QUÆDAM SELECTÆ

ATQUE

IN PLURES EPISTOLAS DISTRIBUTÆ.

AD PARISINUM EXEMPLAR ITERUM EDITÆ.

ACCEDUNT EPISTOLÆ DUÆ

Altera *Sorbonicorum doctorum* ad Auctorem hujus operis
Altera *march. Joannis Polenii* de Olympico Theatro.

AL NOBILE SIGNOR

ANTONIO LIRUTI A UDINE

ANDREA RUBBI.

SIGNORE,

Un giovine colto, amico dei buoni studj, esercitato la penna in argomenti di poesia e di erudizione, amante dell' incognita modestia, non ebbro mai del suffumigio della moderna illusione, può avere con ragione il suo nome in fronte del Galliæ Antiquitates *del Maffei, benchè non sia di professione antiquario. Il dotto Veronese spiegando una lapida, una medaglia, una sigla, non affettava il nudo meccanismo della parola, ma dava pascolo a chiunque amasse più il senso che la lettera. Voi lo vedrete nella prima sua pistola al barone de Bimard, dove parla delle* oneste missioni. *Siatemi dun-*

que grato di questa mia intitolazione, che vi colloca pubblicamente nella serie de' miei scelti amici, i quali hanno sempre appoggiate le mie letterarie fatiche. Io non cerco mecenati onusti di titoli, che m' ingombrin le pagine, nè liberali di doni, che mi destino lo spirito d' interesse. Mi pare che tai puntelli significhino o la fabbrica sdrucita, o presta a sdrucire. La mutua benevolenza mi giova più, perchè privatamente mi può ammaestrare, e senza la pompa dei grandi nomi vicini mi fa vivere contento e sobrio tra pochi felici. Io vi stimerò sempre, finchè stimiate il Maffei, il cui maggior elogio venne formato dall' odio dei tristi. La brevità è la mia divisa. Voi la dovete amare in riguardo mio, e al vostro riconoscente animo mi raccomando.

STORIA CRITICA

DEL

LIBRO DEL MAFFEI

GALLIÆ ANTIQUITATES.

Il Maffei volle viaggiare. Il suo celibe stato, le sue doviziose fortune, ma più il desiderio di profitto lo spinsero a lontane contrade. Egli passò le Alpi, e si trovò nelle Gallie, regione pienissima di antichi monumenti, alcuni inediti, alcuni barbaramente interpretati. Più bella occasione non si offerse mai per lo addietro al suo genio, animato da dotti uomini, e forse invidiosi che uno straniero s' insinuasse nei lor penetrali a diciferare i misteri gallici. Ma i sapienti cardinali Polignac, e Fleury, e i Gesuiti gli prestarono aiuto e consiglio.

Non è mio pensiero l' analizzare quanto si contiene nelle lettere scritte nel libro *Galliæ Antiquitates* ec. Qui si trovano certamente cose non comuni all' erudizione antiquaria, ovvero sennon del tutto nuove, in nuovo modo

spiegate. Parla dei matrimonj legittimi dei soldati romani colle donne *barbare*. Parla di molte iscrizioni, e singolarmente di quella dell'arco segusano; altre ne emenda dal Erutero. Si compiace molto di quelle città, dove trova vestigi dei vetusti teatri ed anfiteatri. Parla di questi al Poleni, da lui veduti in Nimes, in Arles, in Frejus. Si ferma moltissimo col Zendrini sul teatro d'Oranges, dove palesa la sua scienza anche in architettura. Ma chi volesse più al minuto l'epilogo di questo tomo, per qui non ripeterlo, leggalo nell'elogio del Maffei, ch'io ho premesso all'edizione.

Maraviglia non farà poi, se col detto libro gli si facessero avversi molti Francesi. Tra questi i pp. Maurini non amici dei Gesuiti (che lo aveano urbanamente condotto nel centro della loro amicizia,) mostrarono desiderio di risentimento. Quante volte un velo di letteratura copre uno spirito di vendetta! I Maurini non poterono trarre il Maffei nella loro rete anti-gesuitica per le materie della grazia. A screditarlo uscì il libro: " explication de divers monumens singuliers, qui ont rapport à la religion des plus anciens peuples ,,. Il p. Jacopo Martin n'è l'autore,

vi attacca fieramente il *Galliæ Antiquitates*, la nuova edizione di s. Girolamo, la sua Dissertazione della religione dei Gentili nel morire, la spiegazion sua di quelle parole *Nama Gabesio*. Il Maffei non curò molto tal libro che disprezzava egualmente il Gori, il Muratori, il Mazzocchi, il della Torre. Il monaco restò *aspirante* alla grazia di madama N. N. ch' egli cita; e il Maffei uscì di Francia vittorioso e per questa opera e per molte altre, come fa noto il citato elogio.

Al qual proposito aggiunger mi piace il giudizio che ne dà monsignor Fabroni nella sua vita del Maffei: " et quamvis ipse sibi in dicendo obstrepere ac plaudere videretur, & pertinaciam & studium vincendi in disputationibus præ se ferret, & suæ Italorumque gloriæ sæpe prædicator nimius esset, multos tamen nactus est studiosos, amantes, observantes sui; quod mireris sane apud populum, cui omnia, quæ Galliam non olent, inimica atque infesta solent esse „.

Per citar poi alcuna autorità d' uomini grandi, mi attengo solo al gesuita Erasmo Froelich nel suo *Quatuor tentamina in re nummaria vetere* 1737. *Viennæ*. Egli a pag. 404. „ Hactenus dictis egregie suffragantur, quæ vir

sanguine juxta ac eruditione clarissimus Scip. Maff. adnotavit in libro, cui titulus *Galliæ Antiquitates* „. Finalmente nella *Bibliotheque Raisonnée* 1734 p. 301 si fa menzione del libro presente: si loda molto l'autore, e se ne dà un bell'estratto.

Il mio animo nel dar le opere del Maffei prende gran conforto nella lor varietà. I moderni che non amano certo la monotonia, la troveranno in quasi ogni tomo possibilmente; e i diversi palati potran gustare diversi sapori.

EXCELLENTISSIMO DOMINO

MATTHIÆ JOANNI

COMITI S.R.I. DE SCHULEMBURG

Summo Terrestrium Copiarum Apud Venetos Præfecto, Equiti Aquilæ Nigræ, domino in Embden, Altenhavsen Bezendrof, Lieberose, Delitz, &c. &c. &c.

TYPOGRAPHUS F.

QUEM TIBI, EXCELLENTISSIME DOMINE, *dono ac dedico, Liber, Galliæ Antiquitates selectas, quæ maximam partem nondum in lucem prodierant, ab auctore sollertissimo multo studio exquisitas, summo autem ingenio ac doctrina illustratas exhibet ac repræsentat. Cum illum ego in Italia recudere aggressus sum, illud etiam magnopere sategi, ut emendatior multo esset, & aliorum quoque doctorum hominum laboribus ditior. Verum præstantiorem nullam dignitatis accessionem vel comparare illi ego poteram, vel ipse exposcere videbatur, quam ut amplissimo tuo nomini commendatus in medium*

dium procederet, atque inde sibi splendorem pariter ac patrocinium aucuparetur. Ad heroem nempe illum accederet bellicæ strenuitatis, πάντων ἀντάξιον ἄλλων, *quem nostri prope dixerim orbis utrumque latus est admiratum. Eum, qui variarum nationum, ac propemodum ex Europa omnium, tuendas partes in se susceperit: in difficillimis expeditionibus, incertæque admodum aleæ, cum de rerum summa ageretur, nunquam animo exciderit: quodque his majus est, vel impari exercitu, iniquiorem fecerit hostium fortunam, sive commissa pugna adversum a fronte impetum sustineret, sive receptum omnium prudentissimo, grandia molimina frustraretur. Sunt hæc & pleraque hujusmodi alia nunquam interituris monimentis consignata, ac libris sane multis ad posterorum memoriam transmissa, sed veluti præsentia exempla in omnium oculis, atque ore versantur. Neque adeo antiquissimæ ornatissimæque* Schulemburgiæ *Gentis decora longius erant animo repetenda, illud modo recolerem ex infinito laudum tuarum censu, quod summus terrestrium venetæ reipublicæ copiarum præfectus, gloriam in hoc obeundo munere usque adeo magnam es consequutus, ut nullam ferme insigniorem seu veterum, seu recentiorum prodant historiæ. Sunt equidem hoc ipso in libro Inscriptiones principibus viris olim positæ honoris caussa; sed nulla profecto est, quæ æterno illi monimento longe conferri queat, ubi* christianæ reipublicæ in Corcyræ obsidione laborantis fortissimus assertor *splendidissimo*

omnium

omnium testimonio appellaris. Illas sæpe devictarum gentium adulatio excitavit; hanc tibi plane merito sapientissimus Senatus constituit: eaque in laude tantum ipse cæteris antecellis, quantum invictissima Venetorum respublica rerumpublicarum omnium, quot sunt, quotque fuerunt, consilio, dignitate, rerumque gestarum magnitudine gloriam exsuperat.

Jam vero si cui minus videantur ad strenuum ducem eruditæ antiquitatis rudera pertinere, optime ego comparari sentio, si ad tui similem deferantur, qui animum ad egregia facinora ex illustrioribus anteactorum temporum exemplis instituere, duxerit pretium operæ. Nimirum de te constat, quo studio libros, qui maximorum hominum immortalia facta describunt, appetas, quantique æstimes historias, præcipue veterum Græcorum, Romanorumque, quæ tum ob claritatem gentium, tum ob eventuum magnitudinem longe cæteris præstant. Quod ut nemo nesciat, nemo non laudet, est etiam eo in genere, quod non modo summorum ducum prudentia, sed ipsa literatorum respublica de te continuo admiretur. Dico epistolam illam tuam, quæ in nupero Memoriarum sæculi XVIII, libro in Acta relata est, in qua scienter adeo antiquorum in bellis gerendis prærogativas cum postrema hac ætate, scilicet nostra componis, de armorum disseris varietate ac præstantia, consiliorum usus, militum disciplinam eventilas, ut cum hodiernam rerum in præliis agendarum prudentiam in numerato habeas, antiquarum

con-

consuetudinum pars nulla te lateat. Hoc sane argumentum excultissimi animi literarum institutis, atque ejus qua in libros adfectus es voluntatis, futurum facile persuasit, ut hunc pariter, quem Excellentiæ tuæ humillime sisto, ingenita comitate & clementia exciperes: quod oro atque obsecro. Te Deus Optimus Maximus diu incolumem reipublicæ ac literis servet.

STUDIOSO LECTORI

Libri hujus longe doctissimi, quem multis nominibus illustrissimus concivis noster Marchio Scipio Maffeius superiori anno Parisiis, ubi studiorum caussa diversatur, elucubravit, cum oppido pauca exemplaria ad nostras usque oras, inque patriam hanc nostram devenissent, passim docti viri, qui in hac urbe sunt, mihi magnopere auctores fuerunt, ut meis illum typis recuderem, & studiosis quoque in Italia hominibus propinarem. Quod ego consilium non modo statim arripui, verum etiam, ut cum aliqua diligentiæ laude perficerem, vehementer adnisus sum. Quam ob rem recognitum ab ipso auctore exemplar obtinui, quod nonnullis additis, aliisque mutatis ipse unum ferme haberet pro authentico. Nam quo tempore liber excudebatur Parisiis, in ægram ille inciderat valetudinem; cumque eam ob caussam præsto esse typographorum industriæ non posset, errores non pauci irrepsere, multaque subinde prætermissa sunt, quæ suis postea

stea locis suffecit: nunc ex illo autographo vel emendantur, vel describuntur. Ad hæc integræ duæ epistolæ accedunt, quarum una doctorum aliquot eximiæ sorbonicæ facultatis est ad Maffeium ipsum inscripta: altera est claris. marchionis Joannis Polenii in patavina universitate matheseos lectoris, quæ cum in argumento versetur ad hujus maximam partem ingenium libri, ipsumque adeo sub finem auctorem hujus operis laudet, satis commodum in hac editione locum invenit, ne diutius sine tecto, ut ita dicam, & lare vagaretur. Vale

CHRISTIANISSIMO

AC POTENTISSIMO GALLIARUM REGI

LUDOVICO XV

LUDOVICI MAGNI PRONEPOTI

SCIPIO MAFFEIUS VERONENSIS.

Quod dudum aerias despectans arduus Alpes
Silvarumque moras, atque indignantia sæpe
Flnmina transiliens, italis longinquus ab oris
Gallica ad arva, Europæ hortum, sedesq; beatas
Me appulerim; quodque aulam urbi, urbem protinus orbi
Adspectare parem juvet, & fulgentia tecta,
Spirantes tabulas, jam jam gradientia signa,
Aurum & ubique, ostrumque, ac tot miracula rerum;
Quodque etiam solium ante tuum, rex maxime, sistar,
Evenit haud equidem sine cura, & numine divum.
Postquam Romulidum evectas ad sidera moles,
Ruderaque, & lapides ingentia facta loquentes
Scrutari, ac penitus cognoscere, pectus amore
Incensum est mihi miro; quascumque impiger ævi
Reliquias veteris, qua qua patet itala tellus,

Lu-

Lustrare, & multa nunquam perquirere cura
Cessabam: Clio cum se mihi candida, pallam
Mille notis distincta, & lauro innexa capillos
Obtulit in somnis, ultroque affata paventem est.
Pulchra quidem te nunc agitat, versatque cupido,
Pulcher ad interius gesta indaganda priorum
Ardor agit: doctas laudo explorare ruinas,
Laudo, quibus latia, aut Graium facundia vivit,
Marmora contemplari, & mores discere avorum.
Sed te idem, video, nocuit qui pluribus error
Occupat. Ausoniis priscas exquirere in oris
Exuvias satis esse putas; nihil excutis ultra,
Nulla orbis reliqui tangit te cura: quot ævi
Nempe, miser, nescis servet spolia ampla vetusti
Gallia, tum quot templa, quot amphitheatra, quot arcus,
Aereo nescis ierint quot tramite rivi,
Et quot adhuc lætas ditent saxa undique terras
Romuleis incisa notis. [1] *Quin solis ad ortum*
Ignoras illinc missos (jam evolvitur annus)
Qui latebras omnes, atque abdita pervestigent
Solliciti monumenta: ecquando unquam, aut ubi tantus

Do-

---

[1] *Quin solis ad ortum*. Ut quæ hic dicuntur, in aliis etiam regionibus plane intelligantur, sciendum est eminentiss. cardinalem de Fleury regiis auspiciis viros apprime eruditos in Orientem misisse, qui Constantinopolim, & quamplura alia oppida & loca, antiqua item Monasteria diligentius excuterent, ac meliorem insuper Græciæ partem peragrarent, ut quidquid antiquorum cujuscumque linguæ codicum & quidquid veterum inscriptionum, aut monumentorum erui, ac redimi auspiam

Doctrinarum exarsit amor? Denso aere septa
Ipsa iter ingressis comes adstiti, & æquoris iras
Haud semel obtinui, ut Nereus compesceret. Urbem
Regnatricem Asiæ, & summi tecta alta tyranni
Vidimus; ignota, & quam pluribus obruta seclis
Eruimus scripta, atque annosa volumina; deinde
Maius opus movi. Rursus dare vela per altum,
Impuli, & argolicas socios perquirere terras,
Marmoribus sculpta ætatis documenta prioris
Haud dubia indagare avidos [1]*. Jam Cecropis arces,*
Et Cadmo elatas Thebas, bimarisve Corinthi
Rudera, jam patras, agamemnoniasque Mycenas,
Necnon Pisæos, ubi pulvis Olympicus annos
Digerere edocuit tandem certo ordine, campos,
Contigerat lustrasse; nec illo digna labore
Saxa inscripta choro nequidquam sæpe frementi
Contigerat detexisse. Ut venator, in altis
Qui circumcursans erravit collibus, omnes
Exagitans frustra lucos, extrudere damam
Nec valuit, rapidum premere aut ad retia cervum,
Sed clamor, latratusque ivit inanis ad auras;
Postquam se Oceano properantem condere solem
Aspicit abiecta spe, mœrensque, improba culpat
Dumeta, & lassus silvas incusat inertes:
Haud secus ire animis deiectos usque videbam

---

spiam posset, regiæ bibliothecæ acquirerent, atque in religionis, ac litterarum bonum, & ad gallici etiam nominis incrementum Lutetiam Parisiorum deferrent.

[1] *Jam Cecropis arces*. Regiones, ac situs, ubi celebriores urbes stetere, Peloponnensum præcipue, atque Atticam percurrentes, vix quicquid primitus inveniebant, quod operæ pretium faceret.

Græca per arva viros. Tunc errorem eximere omnem,
Ac rem perficere aggredior. Senis ora, habitumque
Induor, & promissam mento canitiem addo.
Tum nebulam scindi jubeo, attonitisque refulgens,
Affari incipio. Qui vos nunc vexat, amici,
Irritus est prorsus labor: istis scilicet oris
Marmorei rerum testes ab origine prima
Olim equidem turmatim aderant, sed barbara postquam
Frangere, disjicere, ac tanquam vulgaria habere
Saxa ætas cœpit, fidei Saturnia priscæ
[1] *Ops miserata vicem, in sese meliora recepit*
Acta, soloque tegi alto, atque in sua viscera condi
Maluit. Haud ergo occurrent, nisi terra aliquando
Effossa; at fodienda ubi sit, quisnam æthere ab ipso
Monstrabit divum? Divum quondam tamen unus
Monstrabit, gazamque mihi patefecit: ad illam
Pierides quandoque, ipse & divertit Apollo.
Antri os, quod tunc erui, adhuc patet, invia quamvis
Sit via, nulli hominum me præter nota; sequi me
Ne pigeat. Tunc præcedens per inhospita duxi
Mirantes nemora; ac deinceps tellure sub ima
Collecti, & longum per opaca silentia callem
Tran-

---

[1] *Ops miserata vicem.* Cum demum pluribus locis terram alte effodi jussissent, inscripta & insculpta marmora detexerunt quam plurima; ea propter fictioni locus datus. Ops eadem ac Cybele, seu terra est.

Transgressi, ingentem, vacuamque invenimus
aulam.
Quo lucis male certa cadunt spiracula ab alto.
Quas ibi reliquias, sophiæ & monumenta vetustæ
Indigitare libens cœpi! nam [1] *Athesina ut in urbe,*
Taurinaque itidem congesta Epigrammata fulgent,
Viventes ubi tu, & multa ac præclara canentes
Struxisti muros, ita ab omni parte videres,
Ut paries variis etiamnum ignota figuris,
Necnon & multo enarret sermone, atavorum
Facta, genus, leges. Sunt quæ longo ordine Regum
Evolvant series, Patriæ sunt Cecropis ævum,
Quæ & Cadmi, tabulæ referant, hominumque,
locorumque
Edoceant ortum, & gentis primordia dicant.
[2] *Multæ etiam, cursum in quibus ambiguum,*
atque recursum
Alterni versus ineunt, revolutaque rursus
Occurrit spatio adverso sibi littera, ut olim
Converti exercens terram consuevit arator.
Atrio at in medio, summoque in vertice, magna
Cernere erat verba, & signatam carmine legem.

[1] *Athesina ut in Urbe.* Veronensis Academia, & nova taurinensis Universitas veterum inscriptionum, marmorumque anaglyptice elaboratorum eximias collectiones possident, quibus muri paucis ab hinc annis ibidem ab auctore qua extructi, qua incrustati sunt.

[2] *Multæ etiam cursum.* Inter repertos a prædictis viris, atque exscriptos lapides, haud paucos narrant fuisse, Βουστροφηδὸν exaratos, alternantibus scilicet a dextra ad lævam, & a leva ad dextram versibus, ea conversione, qua flecti arantes boves solent. Quanta ex eo indicetur vetustas, satis constat.

UNICA FRANCORUM SERVANTUR MUNERA REGI.

Post hæc ex oculis tenues dilapsa per auras
[1]. *Evanui, hos properans monitus ad te quoque ferre.*
Ergo age, rumpe moras, Alpes cito transvola & ipsum
Haud paveas adiisse aurato in limine regem.
Dic aliquam ex magnis, quæ solis ad instar utrumque
Circumeunt axem, victricia signa ferentes,
Navibus ire velit, jubeatque ea maxima dona
Pieridum e manibus capere, atque ad gallica tandem
Littora perferre. Heus quænam tibi gaudia pectus
Insilient, cum Musarum nova regna, novasque
Sed fato meliore sitas, spectabis Athenas!
[2] *Quas ibi marmoreas cernes consurgere moles,*

In-

---

[1] Figuram habes, qua Virgilius usus est, cum dixit: *Tenuis ubi argilla: Miscueruntque herbas. Nec clypei mora profuit ærei. Libra diei somnique pares.*

[2] *Quas ibi marmoreas.* Athenas gallicas appellari jure merito Lutetiam posse, nemo inficiabitur, nisi qui aut invideat, aut parum videat. Sunt alicubi, qui deferbuisse his temporibus in Gallia dicant studium, ardoremque fovendi litteras, atque amplificandi: nimirum quomodo se res habeant, aut ignorant, aut ignorare simulant; mirum enim revera est, quanta cura, quantoque dispendio studiorum subsidia recenter aucta sint, atque augeantur in dies. Ut alia multa præteream, palatium regali bibliothecæ adsignatum augetur in duplum, & magnifice extruitur a solo; quod ideo fit, ut infinitæ propemodum librorum & codicum series satis explicari, atque apte ordinari possint; usque ad hanc diem scilicet, inopes nos faciebat immensa copia, ita ut ægerrime quod expetebatur, reperiri aliquando posset. Maximæ præterea ipsi bibliothecæ accessiones fiunt. Paucis ab hinc mensibus scu-

to-

Ingenia ut vivant, & quidquid Apolline dextro
Unquam, usquam peperere, loco adservetur in uno?
[1] *Quid ternos memorem, Pallas queis invidet ipsa,*
Ipse & Apollo, choros! datur his res temporis acti,
Eloquii & veneres, & rerum noscere causas.
Ast caveas, moneo: divum sine munere ad aras
Accessisse nefas; datis at quæ munera divis?
Scilicet illa datis, sua quæ sunt. Tu quoque miras
Romulidum exuvias, propriis quas possidet oris
Ipse, ipsi exhibeas, parere nec abnue, regi.
Macte animis; dextram, partem qua temperat orbis,
Porriget, excipietque obtutu dona sereno.
Hæc effata abiit comis dea, & omina mente,
Auroramque oculis accepi lætus apertis,
Quæ roseis late fulgebat roscida bigis.
Adsum ergo [2] ex viso, *ac tibi maxime, & optime regum,*

torum, ut loquitur, centum millium pretio præstantissimum manuscriptorum thesaurum, a magno Colberto olim collectum, cardinalis amplissimus redimi jussit, ac regiis armariis adjungi: quamvis enim tantam negotiorum molem sustineat, augendarum doctrinarum curam deserit nunquam; & quamvis in iis omnibus, quæ ad ipsum tantummodo privatim spectant, moderatione mira, modestia summa, priscisque omnino utatur moribus; ubi de regis gloria, ac de bonarum literarum incrementis agitur, ærario minime parcit, magnifice prorsus agit, & regales plane spiritus exerit: quibus institutis Romanos melioris ævi perfecte refert, atque æmulatur, de quibus Cicero. *Odit populus romanus privatam luxuriam, publicam magnificentiam diligit.*

[1] *Quid ternos memorem.* Regias academias tres, scientiarum, ut dicimus, inscriptionum, sive historiæ atque eruditionis, gallicæque eloquentiæ studio devotas, qui uspiam est, qui ignoret?

[2] *Ex viso.* Lapidaria formula, antiquariorum filiis satis nota.

Quæ mihi jussa, fero. Adveniet felicior ætas,
Auguror, antiquis cum posthabitis, tua tantum
Facta canam; immensis constratum puppibus
æquor,
Byzæ urbem, & Solymas (tibi debita regna)
subactumque
Euphratem bello, latrataque littora Anubi
Frustra & conantem pavidum caput abdere
Nilum.
Interea populis saturnia condere secla
Perge, & dum tua te pietas extollit ad astra,
Serta parent Musæ, & manibus dent lilia plenis.

EPISTOLA I.

BARONI DE BIMARD

SCIPIO MAFFEIUS

S. P. D. { *Idib. August. an:* MDCCXXXII. *Verona.*

Nihil mihi poterat jucundius accidere, quam ut literas acciperem a viro non genere tantum, sed & doctrina præstantissimo, qualem te hisce ipsis literis prodis. Primo quidem lætitia me affecere, quod latinæ essent. Macte proavorum nostrorum studiis, *Egregie Juvenis*, & romanam linguam eorum imitatione, ac exemplo neutiquam deseras. Non elegantiam tantummodo, & venustatem, sive ut olim ille aliud laudans, *venustatum & venerum omnium amœnitates Plaut.* secum affert, a quibus mirum est quam longissime absint vulgares dialecti; sed nescio quo pacto sententiarum etiam gravitatem, sanitatemque judicii aut adducere secum videtur, aut inspirare: de lingua loquor qua romanæ eloquentiæ pater, ceterique illius ætatis scriptores sunt usi. Jam vero quod opellas meas tanto honore excipias, ac tot laudibus cumules, id quidem pro insigni humanitate tua facis. Ad Clementis Alexandrini, quam mihi curæ esse putas, novam editionem exornandam, de doctissimi Cottelerii animadversionibus admones: gratias ago, ut par est,

sed ego ejusmodi editioni manum admovere nolui, quæ, ut opinor, nec peragetur. Nemausense ex amphitheatrorum numero nequaquam exemi, ut videbis, cum meus de Amphiteatris liber ad te perferetur: ex eiusdem, quæ ad me perlatæ sunt, descriptionibus subdubitare tantummodo contigit, num forte theatrum fuerit μέγα κυκλοτερὲς παντοχόθεν *Paus. lib.* 5., ut Pausaniæ verbis loquar, quod de Polano deprehendisse me, sub libelli finem exposui. Jam vero Nemausum adeundi cupiditas incessit; quod si præstabitur, quid judicarim, te statim certiorem faciam.

Dissertationem adornare te de Romanorum legionibus, cohortibus & alis significas: dignum eruditione, dignum ingenio tuo argumentum. Cum vero *Diplomatum Historiam* percurreres, & quem tetigi, animadverteres nodum; qui factum sit, ut ab honestis missionibus civitas romana legionariis militibus concederetur, quos ut legionibus nomen darent, cives romanos jam fuisse oportebat, duo a me requiris: primum quidem quomodo ab eo me negotio expediam, cognoscere avens, num tecum faciam, & cum sententia conveniam tua: deinde ut honestam missionem tecum communicem, quam ibidem apud me habere professus sum, in qua clausula appareat a vulgatis hucusque missionibus haud agnita, quæ ad hanc enodandam difficultatem plurimum conferre possit. Morem statim geram, & libentissime utrumque præstabo.

Ex

Ex maiorum quidem instituto & secundum leges, cives romani tantummodo in legiones recipiebantur. Verum procedente tempore iis legibus derogatum nonnunquam esse, quædam ex iis ipsis, de quibus agimus, videntur monumenta ostendere: inter honestarum enim, quæ etiamnum supersunt, missionum tabulas, unam aliquam Florentiæ inter regia cimelia inspexi, in qua *pedibus & equitibus* dari civitas dicitur, *qui peregrinæ conditionis probati erant*: & tamen iidem illi *in VIII Voluntariorum Civium Romanorum Cohorte militaverant Grut.* 574. 5. Sertorius Ursatus legit Aquileiæ in vetusto lapide: *Locus Sepulturæ Gentilium Veteranorum Mon. Pot. pag.* 45. Gentiles autem barbari sunt, & extra romanum imperium siti. Ægre profecto id caveri poterat; nam cum confestim supplendæ aliquando legiones essent, quæ perquam dissitis in locis stativa habebant, haud semper vacabat, illos unice seligere, qui civitate romana fruerentur. Verumtamen ut plurimum etiamsi in provinciis militares homines perquirerentur, legi cavebatur tamen, nec ab antiquis moribus recedebatur; selectos siquidem ad stipendia milites simul faciebant, & cives. Aristidi præclara hæc notitia debetur, qui Romanos laudat, quod provincialibus militiæ idoneis loco naturalis cuiuscumque patriæ romanam civitatem darent: ποιησάμενοι δεπολίτας, ἵνα καὶ στρατιώτας ἐποιήσατε, ὥστε τότε ἀπὸ τῆς πόλεως μὴ στρατε-

πύεσθαι, ἢ τὰς στρατιομένους μήδ' ὁτιοῦν ἧττον εἶναι τολίτας. *Civitate vero donata milites reditis, quo fit ut qui militant e Roma non sint, & sint nihilominus romani cives.* Hinc est quod illos, in quorum gratiam hæ tabulæ confectæ sunt, quamvis remotis in regionibus natos, romana nomina ac prænomina præseferre videmus omnes. Fabrettus quidem V. cl. Traiani Columnam illustrans, cum videret in huiusmodi diplomatibus *Veteranos* quandoque, *qui militaverunt in classe pag. 69* civitate donari, militantes in classibus peregrinæ conditionis fuisse, inferri posse autumavit; sed perperam, ut mox patebit: cui tamen errori ansam etiam præbuit, quod classiarii cum militibus classium ab omnibus permisceri soleant. Quod autem ad propositum pertinet civitate in exordio militiæ donatis diploma, opinor, nequaquam tradebatur, sed tunc solummodo, cum impletis stipendiis honeste dimitterentur. Alia insuper ratio erat, cur militia expleta huiusmodi rescripta peterent, ut ex eorum contextu patet, & ostendere paucis pergo.

Vetitum erat militibus uxores ducere: id me præcipue docuit eximius Dionis imperatoris Claudii gesta enarrantis locus: τοῖς στρατευομένοις, ἐπειδὴ γυναῖκας οὐκ ἐδύναντο ἔκγετιδ νόμων ἔχειν, τὰ τιδ γεγαμηώτων δικαιώματα ἔδοκε *militibus, quoniam secundum leges uxores habere non poterant, maritorum jura concessit lib. 60*: noluit scilicet, ut & mulieribus carerent, & iis simul commodis, ac bonis quibus

bus conjugio vinctos augebant leges, ornabantque. Usque a vetustis temporibus *antelatos senioribus, qui uxorem, quique liberos haberent* memorat Gellius. In spectaculis quoque *maritis* (quamvis *e plebe*) *proprios ordines adsignavit* Augustus *lib.* 2. *c.* 15. Cum ergo nuptias celebrare militantibus haud liceret, ubi nihilominus celebrarent, conubium id non erat, sed contubernium; neque pro legitima habebatur proles; neque filii ad patrum hereditatem vocabantur. His autem incommodis hæc diplomata occurrebant, quæ *Conubium* (ita in æneis laminis hoc nomen perpetuo scribitur (vel *Jus Conubii* dimissis militibus largiuntur, cum unica tamen solummodo conjuge, & prima; *dumtaxat singulis singulas;* atque exinde liberis posterisque civitatem indulgent.

Sed ulterius quiddam adhuc est. Civium romanorum non nisi cum civibus rata conjugia erant. Ulpianus, conubium *uxoris ducendæ facultatem* esse, docens, *conubium*, addit, *habent cives romani cum civibus romanis; cum latinis & peregrinis ita si concessum sit*. Propterea in ea missione, quam Bellorius edidit, militum filiis primo romana civitas datur, *quos susceperint ex mulieribus, quæ secum concessa consuetudine vixisse probatæ sint. In Vestig. Vet. Rom.* Ubi vero qui militiæ nomen dederant, in provinciis extraneas feminas ducerent, hybridæ ex eiusmodi nuptiis oriebantur, ac *novi generis homines* prodibant, ut *natos ex militibus romanis, & ex hispanis mulieribus cum*

qui

quibus conubium non esset, nimirum quæ civitate non potirentur, appellat Livius *lib.* 43. Attamen nihil eveniebat frequentius, quam ut in variis regionibus, quascumque sibi mulieres milites sumerent,

Turpes mariti conjuge barbara,

ut Horatius loquitur, ex quibus neque justos sibi liberos, neque procreabant heredes. Postquam ergo quina, & vicena, vel plura stipendia meruerant, cum honesta missione dimitterentur, illorum in rempublicam meritis id dabatur, ut istiusmodi quoque matrimonia probarentur, liberisque civitas concederetur: atque eam præcipue horum diplomatum causam fuisse ac vim, pro certo habeo; quod ex ærea lamina præcipue didici, quæ paucis ab hinc annis de novo emersit, & in eruditi viri Francisci Ficoronii manus Romæ antiqua rudera colligentis devenit, qui apographum ad me statim misit: illam in animo habui, cum ea verba in diplomatum Historia proferrem, quæ tibi, VIR DOCTISSIME, eiusmodi documenti desiderium excitarunt. Cum ergo in ceteris missionibus conubium detur, additur in hac, jus conubii ita tribui, *ut etiamsi peregrini juris feminas in matrimonio suo* (scalpendum forte erat *sibi*) *junxerint*, *proinde liberos tollant*, *ac si ex duobus civibus romanis natos*. Vides quam diserte explicetur, quod in aliis obscure, ac tacite innuitur. Forsitan inter missionum commoda ab Augusto defini-

ta

ta hæc quoque indulgentia numerabatur: is siquidem ex Suetonio *quicquid ubique militum esset, ad certam stipendiorum præmiorumque formulam adstrinxit; definitis pro gradu cuiusque, & temporibus militiæ & commodis missionum Aug. c. 49.*

Jam vero integrum, ut petis, exhibendum monumentum est. Inter huiusmodi tabulas, quæ hucusque innotuerunt, & publici juris sunt, binæ agmen ducunt, Servio Galba imperante non iisdem tantum consulibus, sed & eadem die, atque eodem exemplo, in diversorum militum gratiam datæ: ex iis alteram percurristi Historiæ diplomatum insertam, alteram percurres ad *Veronæ Illustratæ* partis II calcem modo editam. Gruterianæ subsequuntur, Vespasiani una, Domitiani duæ, Hadriani altera: deinde Belloriana a Fabretto, & a Sponio recusa sub Philippis Augustis emissa. Agmen claudet modo nostra hæc itidem Philipporum; in qua plura insuper, ut probe intelliges, & præclara animadverti possunt, quæ ad rem præsentem non faciunt. Sunt qui mirentur, adeo pauca reperiri huius generis monumenta, cum tot hominum myriades militiam profiterentur: at cave putes, æreis his diplomatis quosvis dimissos; sed eos solummodo, quorum probrum ab illicitis conubiis inustum imperatorum auctoritate abolendum erat, liberique in civium albo collocandi. Ceterorum missiones ære solido non indigebant, sed testimonialibus sat erat peragi, quas militum

præ-

præpositi, sive charta adhibita, sive alia haud ita perenni materia traderent: nec abludunt testimoniales, quarum Vegetius meminit, & leges quædam in theodosiano codice. Quod nostram tabulam spectat, e duabus laminis, ex quibus monumenta hæc semper constant, altera tantummodo reperta est: in aversa parte nomina erant militum, quibus missio est data, sed detritis literarum vestigiis, vix eorumdem patriæ nunc interlucent: LAUDIC. ALABAN. PHILADEL. NICOMED. nempe *Laodicea*, *Alabanda*, *Philadelphia*, *Nicomedia*. Colligi ex iis vestigiis videtur quoque, e centuria hos milites fuisse, cui præerat BASSUS.

IMP CAES M IVLIVS PHILIPPVS PIVS
FEL AVG PONT MAX TR POT V COS III PPPROCOS
IMP CAES M IVLIVS PHILIPPVS FEL AVG
PONT MAX TRIB POT II COS II PP
NOMINA MILITVM QVI MILITAVER. IN CO
HORTIBVS PREATOR. PHILIPPIANIS DECEM
I. II. III. IIII. V. VI. VII. VIII. VIIII. X. PIIS VINDICIBVS
sic. QV. IPII (*Leg. QUI PIE*) ET FORTITER MILITIA FVNCTI SVNT
IVS TRIBVIMVS CONVBII DVMTAXAT CVM

SIN-

SINGVLIS ET PRIMIS VXORIBVS
VT ETIAM
SI PEREGRINI IVRIS FEMINAS IN
MA
TRIMONIO SVO IVNXER. PROIN-
DE LIBE
ROS TOLLANT AC SI EX DVOBVS
CIVIBVS
ROMANIS NATOS AD VII ID IAN
IMP M IVLIO PHILIPPO PIO FEL
AVG III ET
IMP M IVLIO PHILIPPO PIO FEL
AVG II COS
COH VIII. PR. PHILIPPIAN. PV (*Pia Vindice*)

M. BRAETIO. M. F. JVSTINO
SABATIN. MANTVA

DESCRIPT ET RECOGNIT EX TA-
BVLA AEN QVE FIX
EST ROM IMMVR. POSTAMPLVM
(*l. post Temp.*) DIVI AVG AD
MINERVAM

VErum liberaliter profecto, CLARISSIME VIR, mecum agis, qui inscriptionem a me postulans, eodem tempore ad me præstantiorem mittas. Summa cum voluptate græcum psephisma perlegi, quod Aquis sextiis apud provincialis senatus principem servari dicis, illudque exercitationis ac studii gratia usitato scri-

scribendi genere repræsentavi; tum latine reddidi, ut quemadmodum legendum, atque intelligendum sit, plane constet. Quid autem de versione præsertim sentias, precor, ut significes, & si quid forte videbitur tibi me deliquisse, ut libere admoneas.

. . . ΤΟΥΣ$\overline{\text{ΝΕ}}$ΦΑΩΦ$\overline{\text{ΚΕ}}$ΕΠΙΣΤΛΛΘ·
ΓΟΥΤΗΣΣΚΗΝΟ
ΠΗΓΙΑΣΕΠΙΑΡΧΟΝΤΩΝΚΛΕΑΝ-
ΔΡΟΥΤΟΥ
ΣΤΡΑΤΟΝΙΚΟΥΕΥΦΡΑΝΟΡΟΣΤΟΥ-
ΑΡΙΣΤΩΝΟΣ
ΣΩΣΙΓΕΝΟΥΣΤΟΥΣΩΣΙΠΠΟΥ ΑΝ-
ΔΡΟΜΑΧΟΥ
ΤΟΥΑΝΔΡΟΜΑΧΟΥΜΑΡΚΟΥΛΑΙ-
ΛΙΟΥΟΝΑΣΙ
ΩΝΟΣΤΟΥΑΠΟΛΛΩΝΙΟΥΦΙΛΩΝΙ-
ΔΟΥΤΟΥΑΓΗ
ΜΟΝΟΣΑΥΤΟΚΚΛΕΟΥΣΤΟΥ
ΠΗΝΩΝΟΣΣΩΝΙ-
ΚΟΥΤΟΥΘΕΟΔΟΥΙΩΣΗΠΟΥΤΟΥ-
ΣΤΡΑΤΩΝΟΣ

ΕΠΕΙΜΑΡΚΟΣΤΙΤΤΙΟΣΣΕΞΤΟΥΤΙ-
ΟΣΑΙΜΙΔΙΑ
sic. ΑΝΗΡΚΑΛΟΣΚΑΙΑΓΑΘΟΣΠΑΡΑΓ-
ΗΝΗΘΕΙΣΕΙΣ
ΤΗΝΕΠΑΡΧΕΙΑΝΕΠΙΔΗΜΟΣΙΩΝ
ΠΡΑΓΜΑΤΩΝΤΗΝ
ΤΕΠΡΟΣΤΑΣΙΑΝΑΥΤΩΝΕΠΟΙΗ-
ΣΑΤΟΦΙΛΑΝΘΡΩ
ΠΩΣ-

ΠΩΣΚΑΙΚΑΛΩΣΕΝΤΕΤΗΙΑΝΑ-
ΣΤΡΟΦΗΙΗΣΤΥΧΙΟΝ
ΗΘΟΣΕΝΔΙΚΝΥΜΕΝΟΣΑΕΙΔΙΑΤΕ-
ΛΩΝΤΥΓΧΑΝΕΙ
sic. ΟΥΜΟΝΟΝΔΕΕΝΤΟΥΤΟΙΣΑΒΑΡ-
ΗΕΑΥΤΟΝΠΑΡΕΣ
ΧΗΤΑΙΑΔΔΑΚΑΙΤΟΙΣΚΑΤΙΔΙΑ-
ΝΕΝΤΥΓΧΑΝΟΥΣΙ
ΤΩΝΠΟΛΙΤΩΝΕΤΙΔΕΚΑΙΤΟΙΣΕΚ-
ΤΟΥΠΟΛΙΤΕΥ
ΜΑΤΟΣΗΜΩΝΙΟΥΔΑΙΟΙΣΚΑΙΚΟΙ-
ΝΗΚΑΙΚΑΤΙΔΙΑΝ
ΕΥΧΡΗΣΤΟΝΠΡΟΣΤΑΣΙΑΝΠΟΙΟΥ-
ΜΕΝΟΣΟΥΔΙΑ
ΛΕΙΠΕΙΤΗΣΙΔΙΑΣΚΑΛΟΚΑΓΑΘΙΑ-
ΣΑΞΙΑΠΡΑΣΣΩΝ
ΩΝΧΑΡΙΝΕΔΟΞΕΤΟΙΣΑΡΧΟΥΣΙΚΑ-
ΙΤΩΙΠΟΛΙΤΕΥ
ΜΑΤΙΤΩΝΕΝΒΕΡΕΝΙΚΗΙΟΥΔΑΙΩ-
ΝΕΠΑΙΝΕΣΑΙΤΕΑΥ
ΤΟΝΚΑΙΣΤΕΦΑΝΟΥΝΟΝΟΜΑΣΤΙ-
ΚΑΘΕΚΑΣΤΗΝ
ΣΥΝΟΔΟΝΚΑΙΝΟΥΜΗΝΙΑΝΣΤΕ-
ΦΑΝΩΙΕΛΑΙΩΙΚΑΙ
ΑΗΜΝΙΣΚΩΙΤΟΥΣΔΕΑΡΧΟΝΤΑ-
ΣΑΝΑΓΡΑΨΑΙΤΟ
ΨΗΦΙΣΜΑΕΙΣΣΤΗΛΗΝΛΙΘΟΥΠΑ-
ΡΙΟΥΚΑΙΘΕΙΝΑΙΕΙΣ
ΤΟΝΕΠΙΣΗΜΟΤΑΤΟΝΤΟΠΟΝΤΟ-
ΥΑΜΦΙΘΕΑΤΡΟΥ
ΛΕΥ ΚΑΙ ΠΑ ΣΑΙ

Ἔτους νε φαῶφ κε ἐπὶ συλλύγου τῆς σηνοπηγίας, ἐπὶ ἀρχόντων Κλεάνδρᾳ τῷ Στρατονίκᾳ, Εὐφράνορος τῷ Ἀρίσωνος, Σωσιγένους τῷ Σωσίππου, Ἀνδρομάχᾳ τῷ Ἀνδρομάχου, Μάρκᾳ Λαιλίᾳ Ὀνασίωνος τῷ Ἀπολλωνίου, Φιλωνίδου τῷ Ἀγήμονος, Αὐτοκλέους τῷ Ζήνωνος, Σωνίκᾳ τῷ Θεοδότου, Ἰωσήπᾳ τῷ Στράτωνος.

Ἐπεὶ Μάρκος Τίττιος Σέξτου υἱὸς Αἰμιλίᾳ ἀνὴρ καλὸς καὶ ἀγαθὸς παραγενηθεὶς εἰς τὴν ἐπαρχείαν, ἐπὶ δημοσίων πραγμάτων, τήν τε προσασίαν αὐτῶν, ἐποιήσατο φιλανθρώπως καὶ καλῶς, ἔν τε τῇ ἀναστροφῇ ἡσύχιον ἦθος ἐνδεικνύμενος ἀεὶ διατελῶν τυγχάνει, ἀ μόνον δὲ ἐν τούτοις ἀβαρῆ ἑαυτὸν παρέσχηται, ἀλλὰ καὶ τοῖς κατ' ἰδίαν ἐντυγχάνουσι τῶν πολιτῶν, ἔτι δὲ καὶ τοῖς ἐκ τοῦ πολιτεύματος

ἡμῶν

Anno LV, mensis Phaoph, die XXV, Tabernaculorum conventus tempore, sub archontibus Cleandro Stratonici filio, Euphranore Aristonis, Sosigene Sosippi, Andromaco Andromachi, M. Lælio Onasione Apollonii, Philonida Agemonis, Autocle Zenonis, Sonico Theodoti, Josepho Stratonis.

Quandoquidem M. Tittius Sex. F. Æmilia, vir honestus & probus, cum in provinciam advenisset, publicis rebus earumdemque præfecturæ admotus, humaniter, atque honeste se gessit; & quod ad vitæ rationem attinent, placidos mores perpetuo perstat ostendere; nec in illis solum, quæ rempublicam spectant, se facilem præbuit, sed civibus etiam privatim interpellantibus; &

cum

ἡμῶν Ιουδαίοις, καὶ κοινῇ καὶ κατ' ἰδίαν εὔχρηστον προσασίαν ποιούμενος, ὁ διαλείπει τῆς ἰδίας καλοκἀγαθίας ἄξια πράσσων. ὧν χάριν ἔδοξε τοῖς ἄρχουσι καὶ τῷ πολιτεύματι τῶν ἐν Βερενίκῃ Ιουδαίων ἐπαινέσαι τε αὐτὸν, καὶ στεφανοῦν ὀνόμασι καθ' ἑκάστην σύνοδον καὶ νουμηνίαν στεφάνῳ ἐλαΐνῳ καὶ λημνίσκῳ, τοὺς δὲ ἄρχοντας ἀναγράψαι τὸ ψήφισμα εἰς στήλην λίθου Παρίου, καὶ θεῖναι εἰς τὸν ἐπισημότατον τόπον τοῦ Ἀμφιθεάτρου.....

cum insuper Judæis quoque, qui ad curiam nostram pertinent, & publice, & privatim optimam præfecturam præstans, recte agens a probitate sua nequaquam declinet: propterea visum est archontibus, & Judæorum, qui in Berenice sunt, reipublicæ, ipsum laudare, & nominatim in omni conventu, & lemnisco ornare, atque ut archontes decretum hocce in columna e pario marmore inscribi curent, ac in maxima conspicua amphiteatri parte collocari. Vid. Epist. VIII.

Urbis nomen inscriptione media fortuito, ut ita dicam, memoratur, nimirum Berenice. At quænam? cum sex enumeret Stephanus eo nomine civitates. Locus, ex quo advectum lapidem dicis, nempe tripolitana Africæ civitas, ostendit, ni fallor, cyrenaicam Berenicen, *Hesperidum* nomine ex Ptolemæo & Plinio olim cognitam, heic indicari: ab Africæ ora, quæ Mediterraneum spectat, immane nimis discrepat Berenice ad Rubrum mare posita, nec non

eiusdem nominis aliæ. Urbis vero, cuius nec numisma hactenus, nisi Goltzianum admittimus, nec monumentum ullum, quod sciam, visum fuerat, epocham ex hoc lapide discimus, quæ procul dubio augustana est. Nimirum cum Angustus anno urbis DCCXXIII, actiaca victoria rerum, præcipue in Oriente, potitus sit, fuere, qui epocham inde sibi instituerent; multo plures, qui ab anno varroniano DCCXXVII, quo idem *Imperator Cæsar divi filius augustus sententia Munatii Planci a Senatu ceterisque civibus appellatus est*, ut Censorinus docet. Docet quoque auctor, *Cap. 8. Ægyptios, quod biennio ante in potestatem ditionemque populi romani venerint*, duobus annis hanc æram antevertisse: aliquot tamen præterea mensibus; nam a die XXIX augusti mensis anni ab V. C. DCCXXIIII Ægyptiorum computus incipiebat. Cum autem cyrenaica regio in Ægyptum vergeret, cumque ab hoc marmore discamus, ægyptiis mensium nominibus usam esse, in proclivi est credere, ægyptum quoque annorum computum usurpasse: quapropter cum mensis Phaoph a XXVIII septembris incipiens, Romanorum octobri responderet, dies Phaophi vigesima quinta anni quinti, & quinquagesimi octobris diem vigesimam secundam anni ab V. C. DCCLXXVIIII designat. Abrasam in marmore literam priorem addidi; sexcenta habemus numismata, in quibus eodem modo annus adponitur: Ε″τους &c.

Græcam omnino civitatem fuisse, & lingua

osten-

ostendit, & archontum dignitas; tum eorum nomina, & mos celebrandi publice benemerentes, ac coronandi. Non contemnendam tamen populi partem e Judæorum gente constitisse, ex eo apparet, quod Judæorum synedrium simul cum civitatis archontibus hoc decretum sciscat, & quod ipso initio eorum Scenopegia tunc temporis celebrata esse præmittatur. Psephisma in honorem *Marci Tittii* ex æmilia tribu conditum est, qui eorum provinciæ impositus multis beneficiis, tum Berenicenses, tum Judæos in urbe illa, & in eiusdem territorio degentes affecerat. Cyrenaica regio, & Creta insula provinciam romanam efficiebant unam, ut ex Dione discimus, a quo inter illas, quas Augustus Senatui populoque tradidit, numeratur Κρήτη τε μετὰ Λιβύης τῆς περὶ Κυρήνην, hoc est non *Creta Africa Cyrenaica*, ut in vulgata versione *Lib.* 55, ac si duæ fuissent, sed *Creta cum Africa Cyrenaica*. Num vero M. Titius provinciam proconsul administrarit, an extraordinario imperio in eam civitatem corrector, seu præfectus missus fuerit, non omnino liquet: arbitror tamen, splendidam proconsulis appellationem nequaquam prætermissuros fuisse, qui honorandi causa concipiebant verba, eo munere si functus esset. Duplici T. quod sculptum fuerit nomen, lapidarii errato tribui potest; literarum enim geminatio perfacile inscriptiones irrepit. Titia gens notissima. De M. Titio pluribus locis verba facit Dio, quem etiam Syriæ præsidem fuisse

novimus, & anno DCCXXIII consulem suffectum. Cum vero neque historicos is, nec Strabo, nec Appianus, nec Josephus, a quibus pariter Titius ille memoratur 474. 8, neque item Gruterianus lapis eiusdem cognomen recitent, quo noster quoque Titius in hoc marmore caret, idem peculiaris usus cognomen nequaquam adsumendi, & idem quoque prænomen cum gentilitio nomine, adducunt me, ut illius ex Sexto filio nepotem Titium hunc existimem.

Commune est honorificis his decretis, tum quæ in marmore superant, tum quæ apud græcos scriptores reperiuntur, ut quorum honori dantur, laudari & coronari jubeant. At huic peculiare primo est, quod corona decernatur lemniscata. Erant lemnisci, ut Festus admonet, *fasciolæ coloriæ dependentes ex coronis*. Honos ex his augebatur: Cicero pro Roscio: *multas esse palmas, hanc primam esse tamen lemniscatam*. Ausonius vester: *Epist.* 20.

Et quæ jamdudum tibi palma poetica pollet,
Lemnisco ornata est, quo mea palma caret.

Speciale item est huic plebiscito, quod conventu quovis, & ad singulas neomenias rursus Titius laudibus, & corona nominatim honorari velit; hoc ita accipio, ut cum kalendis singulis eius civitatis curia soleret cogi, decretum hocce publice recitari semper deberet. At postremum inscriptionis verbum me magis movet,

vet. Solemne his decretis erat, ut marmori incisa in publico statuerentur loco; in templis ut plurimum: Cyzicenorum pluries excusum Venetiis adhuc visitur, theatrum huiusmodi honoribus adsignantium. *V. Diar. Ital. p.* 38. Berenicenses autem nostri (quod observatum nondum fuerat) in amphitheatro psephisma collocari volunt. Cum ab exemplari, quod misisti, postremas literas ægre discerni suboleat, & partim evanuisse, vellem, ut lapide iterum inspecto certior fieres, num *amphiteatri* vere, an forte *theatri* legendum sit. Amphiteatrum autem si marmor præseferat, de lapideis ac superbis molibus nequaquam cogitemus, quarum nondum imperator Titus exemplum dederat; sed de ligneis, ac circumclausis spectaculorum sedibus, quæ a Cæsare initium sumserant, ut ex Dione de amphiteatris agens adnotavi *De Amph. lib.* 1. *c.* 3. *&* 10, quasve Herodes imitatus est in Judæa, ut ex Josepho. Quæ ad calcem in detrito, ut opinor, marmore sequebantur, num εἰς ΛΕΥκωμα, nempe *in albo* psephisma referri debere innuebant? nam decretum persimile apud Gruterum *Pag.* 327 sub finem coronas ΕΙΣ ΛΕΥΚΩΜΑΤΑ ΧΩΡΗΣΑΙ jubet; in marmore autem ipso, quod modo apud me est, & quidem porphyreticum, ΕΙΣ ΛΕΥΚΩΜΑ ΚΑΤΑΧΩΡΗΣΑΙ. *Vid. Epist. VIII.*

CUm vero ex literis tuis quanti facias, & quantum huiuscemodi monumentorum ge-

nus ames, probe intellexerim, honorificum decretum alterum ego quoque ad te mittere constitui, publicis pariter nunquam formis excusum.

ΕΠΙΕΡΑΠΟΛΟΥΑΡΙΣΤΙΟΝΟΣΤΟΥΙ-
ΣΤΙΕΙ
ΟΥΚΑΤΕΝΙΑΥΣΙΟΥΣΟΣΙΟΣΤΟΥΝ-
ΥΜΦΟΔΟΡΟΥ
ΒΟΥΛΑΣΑΛΙΑΣΜΑΤΑΔΕΥΤΕΡΑΕΞΑ-
ΜΗΝΟΥΚΑΡΝΕΙΟΥΤΡΙΑΚΑ
ΔΙΠΡΟΣΤΑΤΑΣΙΠΠΟΚΛΗΣΙΠΠΟΚΛΕΟ-
ΣΤΕΦΑΝΟΥΓΥΜΝΑΣΙΑΡΧΟΝ
ΕΔΟΖΕΔΑΑΛΙΑΙΚΑΘΑΚΑΙΤΑΑΙΣΙΑΑΙ-
ΣΕΠΕΙΔΗΘΑΙΡΗΜΕΝΟΣΓΥΜ
ΝΑΣΙΑΡΧΟΣΤΟΝΚΑΤΕΣΕΝΙΑΥΤΟΝΗ-
ΡΑΚΛΕΙΔΑΣΖΟΠΥΡΟΥΕΠΙΜΕΛΙΑΝ
ΠΕΠΟΙΗΤΑΙΤΟΝΤΕΕΦΕΒΟΝΚΑΙΝΕΟ-
ΤΕΡΟΝΚΑΙΤΟΝΑΛΛΟΝΤΟΝ
ΑΠΟΔΙΟΜΕΝΟΝΕΙΣΤΟΓΥΜΝΑΣΙΟΝ-
ΤΑΚΑΛΛΑΤΑΚΑΤΑΤΟΓΥΜΝΑ
ΣΙΟΝΚΑΛΟΣΔΙΑΣΠΑΓΜΕΝΟΣΚΑΙΑ-
ΞΙΑΠΡΣΣΟΝΑΥΤΟΥΤΕ
ΚΑΙΤΑΣΤΟΝΠΡΟΕΙΝΑΡΕΤΑΣΚΑΛΟΣΟ-
ΥΝΕΧΟΝΕΣΥΙΣΤΕΦΑΝΟΣΙ
ΕΝΕΝΤΑΙΑΛΙΑΙΤΟΝΓΥΜΝΑΣΙΑΡΧΟΝ-
ΗΡΑΚΛΙΔΑΝΖΟΠΥΡΟΥ
ΕΛΑΙΟΥΣΤΕΦΑΝΟΙΕΠΙΜΕΛΕΙΑΣΕΝΕ-
ΚΕΝΚΑΙΦΙΛΟΠΟΝΙΑΣ
ΤΕΚΑΤΑΤΟΓΥΜΝΑΣΙΟΝΤΟΔΕΔΟΓΜΑ-
ΤΟΔΕΚΟΛΑΦΗΕΝΣΙΣΣΤΑ
ΑΑΝΑΟΑΘΕΜΟΙΝΕΙΣΤΟΓΥΜΝΑΣΙΟ-
ΝΕΙΣΔΕΤΑΝΚΑΤΑΣΚΕΥΑΝ

ΤΑΣ-

ΤΑCCΤΑΛΑCΞΟΔΙΑΣΑΙΤΟΥΡΙΑΚΟΝ-
ΤΑΜΕΡΟCΚΑΘΑΚΑΒΟΥΛΑ
ΤΑΚΑΝΑΓΡΑΦΗCΗΙ
ΟΔΑΜΟCΤΟΝΓΕΛΟΙΟΝΕΠΑΙΝ
ΕΙΚΑΙΣΤΕΦΑΝΟΙΤΟΝΓΥΜΝΑΥΙΑΡΧΟ-
ΝΗΡΑΚΛΕΙΔΑΝΖΟΠΥ
ΡΟΥΕΛΑΙΟΥCΤΕΦΑΝΟΙΕΣΙΜΕΛΕΙΑCΕ-
ΝΕΚΕΝΚΑΙΦΙΛΟΠΟΝΙΑC
ΤΑCΚΑΤΑΤΟΓΥΜΝΑΣΙΟΝ
ΕΦΗΒΟΙΟΙCΤΕΦΑΝΟΘΕΝΤΕC

ACKΛΑΠΙΑΔΑC	ACΛΑΠΙΑΔΑ
ΑΡΤΕΜΩΝ	ΕΥΘΥΜΙΟΥ
ΑΝΤΑΛΛΟC	ΑΝΤΑΛΛΟΥ
ΠΟΛΙΞΕΝΟC	ΑΓΑΤΑΡΧΟΥ
ΓΕΛΟΙΟC	ΓΟΡΓΥΛΟΥ
ΠΡΟΤΑΡΧΟC	ΠΡΟΤΑΡΧΟΥ
ΑΡΙΣΤΙΩΝ	ΠΥΜΦΟΔΟΡΟΥ
ΣΟCΙΠΟΛΙC	ΙCΙΔΟΡΟΥ
ΝΙΚΑΡΟC	ΠΥΡΡΟΜΙΝΟΥ
ΑΠΟΛΛΟΝΙΟC	CΑΤΡΟΥ
ΖΟΠΥΡΟC	ΗΡΑΚΛΕΙΔ....

Ἐπὶ Ἱεραπόλιος Ἀριστίωνος τοῦ Ἱστιείου, Κατενιαυσίου Σώσιος τοῦ Νυμφοδώρου. Βουλᾶς ἀλιάματα δευτέρας ἐξαμήνου Καρνείου τριακάδι. Προσάτας Ἱππόκλης Ἱπποκλέους στεφανοῖ γυμνσίαρχον. Ἔδοξε τᾷ ἀλίᾳ καθὰ καὶ ταῖς ἴλαις.

Sub Hierapolo Aristione Histiei filio, Sosio Nymphodori filio Annuo. Consilii decreta semestri secundi, carnei mensis die trigesima. Hippocles Hippoclis filius præfectus gymnasiarchum coronat.

Ἐπει-

Ἐπειδὴ ὁ ἀρημένος γυμνασίαρχος τῶν κατεσενιαυτῶν Ηρακλείδας Ζωπύρου ἐπιμελείαν πεποίηται τῶντε ἐφήβων, καὶ νεωτέρων, καὶ τῶν ἄλλων τῶν ἀποδυομένων εἰς τὸ γυμνάσιον τάκ' ἄλλα τὰ κατὰ τὸ γυμνάσιον καλῶς διασπραγμένος, καὶ ἄξια πράσσων αὐτοῦ καὶ τᾶς τῶν πρώειν ἀρετᾶς. Καλῶς οὖν ἔχον ἐστὶ στεφανώσιεν ἐν τᾷ ἀλίᾳ τὸν γομνασίαρχον Ἡρακλείδαν Ζωπύρου ἐλαίου στεφάνῳ ἐπιμελείας ἕνεκεν καὶ φιλοπονίας τε κατὰ τὸ γυμνάσιον. τὸ δὲ δόγμα τόδε κολαφθὲν εἰς στάλαν ἀναθέμειν εἰς τὸ γυμνάσιον. εἰς δὲ τὰν κατασκευὰν τᾶς τάλας ἐξοδιάσαι τὸ τριακοντάμερον, καθὰ καὶ ἃ βουλὰ καταναγραφήσει. Ὁ δᾶμος τῶν Γελαίων ἐπαινεῖ, καὶ στεφανοῖ τὸν γυμνασίαρχον Ἡρακλείδαν Ζωπύρου ἐλαίου στεφάνῳ ἐπιμελίας ἕνεκεν

Visum est Senatui sicut & plebi. Quoniam Heraclides Zopyri filius, luctatorum huius anni gymnasiarchus electus curam egit cum adolescentium, tum iuniorum, aliorumque in gymnasio se exuentium; ac cætera ad gymnasium pertinentia peregit recte, digna præstans tum sui ipsius, tum anteriorum virtute; honestum eapropter est, Heraclidem Zopyri filium, gymnasiarchum oleagina corona in concilio coronare, sedulitatis, studiique gratia pro gymnasio adhibiti: decretum autem hocce columnæ incisum in gymnasio collocare, & ob columnæ structuram trigesimam impendere, prout Consilium præscribet. Populus Gelensium gymnasiarchum Heraclidem Zopyri filium laudat, & oleagina corona propter studium ac se-

κεν κὴ φιλοπονίας τᾶς κατὰ τὸ γυμνάσιον.	*sedulitatem circa gymnasium coronat.*
Ἔφηβοι οἱ στεφανοθέντες	*Adolescentes coronati*
Ἀσκλαπιάδας Ἀσκλαπιάδα	*Asclepiades Asclepiadis filius*
Ἀρτέμων Εὐθύμω	*Artemo Euthymi*
Ἄνταλλος Ἀνταλλω	*Antallus Antalli*
Πολίξενος Ἀγατάρχω	*Polyxenus Agatarchi*
Γελοῖος Γοργύλω	*Gelœus Gorgyli*
Πρώταρκος Πρωτάρκω	*Protarchus Protarchi*
Ἀριστίων Νυμαφοδώρω	*Aristio Nymphodori*
Σωσίπολις Ἰσιδώρω	*Sosipolis Isidori*
Νίκαρος Πυῤῥομίνω	*Nicarus Pyrrhomini*
Ἀπολλώνιος Σάτρω	*Apollonius Satri*
Ζώπυρος Ἡρακλείδα.	*Zopyrus Heraclidis.*

Marmor ipsum in arce Leocatæ, aliis Alicatæ, quæ Siciliæ civitas est, adservatur. Cum vero Gelanorum psephisma contineat, & ad Leocatam in proximo colle erutum fuerit, magnum argumentum accedit antiquam Gelæ urbem ibidem stetisse adserentibus. Geloos Græci derivant, ut a Thucidide, & a Pausania discimus; Stephanus tamen etiam Γελαῖους: in marmore Γελωῖοι. Latine Tullius Gelenses dixit, Galenos Plinius, *camposque Geloos* Virgilius. Inter claras, pollentesque urbes fuisse, Thucidides, Plutarchus ac Diodorus indicant, qui pluries meminere: argui etiam potest e Luciani Dialogo, in quo Lampichus Geloorum purpuram, diadema, divitias, & fastum, ante-

te-

tequam Charontis cymbam ingrediatur, exuere jubetur a Mercurio. Inscriptionem ad me transmisere decem circiter ab hinc annis literati e Sicilia viri, eodem fere tempore plures; mirum enim quantum ego perillustribus multis doctisque eius regnis incolis non uno tantum nomine debeam. Senatusconsultum est, seu plebiscitum mavis, quo Gelensium respublica gymnasiarchum quemdam nomine Heraclidem oleagina corona donat, quod munere suo optime functus fuisset. Monumenti ætatem a longinqua vetustate repetendam opinor, cum a verissimili neutiquam abhorreat, ante Siciliam Romanis in provinciam redactam, hoc est ante annum ab urbe condita DXLIII, rogatum psephisma, marmorique inscriptum fuisse. Omega nunquam apparet; Omicron hac facie Ϙ perpetuo pingitur.

Dialectus dorica est (quæ in Sicilia, ut scis, obtinebat) sed sicilicissans; epichoria enim videntur ἁλίασμα, διασπαγμένος, κατεσενιαυτὸν, καταναγραφήσει, ωρόειν loco ωρόσθε, ἐλαίου, pro ἐλαῖας, aut ἐλαίνῳ, κάθα pro καθὼς, quod quidam Atticorum dicunt, σεφανόσιεν, ἀναθέμοιν pro dorico ἀναθέμεν, nisi ἀναθέμειν erat, & alia quædam. Siculi etiam loco ου interdum οι scribebant, quapropter ἰδοῖσα pro ἰδοῦσα in Theocrito. Quinque numerari quidem solent Græcorum dialecti, quas Clemens Alexandrinus memorat *Strom. I. p.* 338, attica, ionica, dorica, æolica, & communis; sed regionem quamlibet idiotismos habuis-

buisse suos, ambigi nequit, a scriptoribus nequaquam usurpatos, sed a vetustis lapidibus quandoque nobis exhibitos. Dorice Cretenses quoque loquebantur; verumtamen Hierapytnensium fœdus, quod inter *marmora oxoniensia* legere est, *dialecto vix alibis usitata* conceptum esse, docti editores præmittunt. Ὀυλύξ loco Ὀδυσσέως creticam inscriptionem præsetulisse adnotavit Plutarchus in Marcello. Ex cretensibus vocabulis se ab insula illa oriundos Panchaiæ populi ostendere conabantur, quod Diodorus tradit *Lib.* 5. Siciliam quoque peculiari dialecto usam esse, cum hæc inscriptio, tum Cicero subindicat Verrina VII, ἐδιπώθησαν, *inquit*; *hoc est*, *ut Siculi loquuntur*, *supplicio affecti*, *ac necati sunt*: item Thucidides, qui falcem non ut a Græcis ceteris, sed populari ipsis nomine a Siculis appellatam docet: τὸ δὲ δρέπανον οἱ Σικελοὶ ζάγαλον καλοῦσι *Lib. 6.* Verumtamen, ni fallor, ante hanc Inscriptionem visam de sicula dialecto parum constabat. Mirum est in hac Inscriptione E quidem & Σ pluries, sed Ϲ pariter ac C promiscue sculpi; quas literarum varietates diversis longe ætatibus communiter tribuimus, sequiori tantum ævo postremas figuras prodiisse opinantes.

Apparet, in gelensi republica primario loco Hierapolum fuisse: id nominis nusquam, quod neminerim, ante hoc inspectum marmor occurrerat, & palam facit, in ea civitate summum sacerdotem civilibus etiam rebus præfuisse, idem enim est, ac si sacrum ministrum dicere

res. De Agrigento & Melita idem ostendit Hierothitæ appellatio, qua publicis rebus præpositos denominatos esse, bina alia apud Gualterium marmora comprobant. Syracusani quoque Dionysio ejecto magistratum sibi præfecerunt, quem Amphipolum nominabant, & Jovis Olympii minister erat, ut e Diodoro discimus *Lib.* 16. Σώσιος gignendi casu a Σώσις (magis communiter Σώσιας) ut inter subscripta nomina habetur Σωσίπολις. *Annuus* novum dignitatis nomen; quod ni placeat, annui adjunctum Hierapolo appinge, & Sosium pro scriba accipe: in Agrigentina illa γραμματέυοντος Ἀδριανώνος præmittitur. Dictio ὠλίασμα apud scriptores non occurrit, sed in hoc tantum lapide, & in Agrigentino: forte pro ἀλιάσματα legendum est ἀλίασμα τᾶς δευτέρας ἐξαμήνου. Ἀλία populi conventus. Psephisma affertur a Demosthene pro corona, in quo perperam latina versio reddit *in Tealia*, cum *in conventu* reddendum esset. Alterum semestre spatium quod memoretur, vel eius urbis consilium bis in anno mutari consuevisse, indicat, vel tribum saltem, aut magistratum, qui plebiscitis scribundis præsideret. Βουλευόντων τῶν δευτέραν ἐξαμήνον lapis alter apud Cyriacum mentionem facit *Cyr.* XXXI. 207. In urbe agrigentina sexies ea mutatio fiebat; propterea in pluries memorata Inscriptione ἀμίασμα ἕκτας διμήνου *decretum bimestris sexti*: parum feliciter apud Gruterum *decretum die sexto veteris bimestris p.* XIV.

peiu-

peiusque Scaliger in indice, ubi Δίμηνου inter mensium nomina reponit, & pro embolismali habet: nec laudibilius Vandalius *pag.* 762 *decretum factum sexta bimensis carnei.*

Carnii mensis plures ex antiquis auctoribus meminere: Julio Romanorum respondebat. At plura in marmoribus Græcorum mensium nomina deprehendi, Gazæ, Giraldo, recentioribusque, & clarissimo quoque Alberto Fabricio, ignota. Coronam dedit Hippocles, qui præsidebat *pag.* 401. In Agrigentina παραπρόσα τᾶς βούλας explicatur apud Gruterum *cum Senatus adesset*; verum παραπροσώτα τᾶς βούλας scribendum erat, hoc est παραπροσατῦ, nempe Nymphodoro *senatus principe*, seu *præposito*. Τριαντάμερος, ac si *trigesimam partem* diceres sollennem quandam forte apud Gelenses connotabat publici ærarii adsignationem, seu capsulam dicas, his usibus destinatam.

En tibi, vir amicissime, monumenta pulcherrima vetustissima simul & nova; id namque vetustatem scrutantibus nobis jucundissimum obtingere solet, ut nova, sive nunquam hactenus visa, passim occurrant. Inter numismata quoque mira, quæ nemo viderit, deficiunt nunquam: istiusmodi viginti fere in Veronæ Illustratæ parte III exhibui nuper: plura insuper his ipsis diebus Venetiis deprehendi in præstantissimo M. Antonii Diedi a summo Veneti maris imperio reducis Museo. Unius ex illis ectypum ad te mitto, *Musæ* nunquam, quod nunc succurrat, auditæ *Regi-*

næ

næ caput exhibentis *Vid. Epist. II.* de maritima Prusiade, in qua nummus est percussus, optime Cellarius. Regis Tarcondimoti nunquam pariter visam e repositoriolo meo sociatam vides effigiem: de illo veronensia cimelia describens sermonem habui. In alium finem, ut hi duo nummi conjunctim excuderentur, curaveram, sed nimis multis distineor. Quod inscriptiones quamplures a te in variis Galliæ tractibus exscriptas missurus ad me sis, gratias iterum ago atque iterum; nam modo in iis totus sum, earum siquidem omnium editarum atque ineditarum, quæ ubicumque sint, collectionem paro, atque adorno: *faciam autem*, summo Deo favente, *quo ad possibile erit*, ut Modestinus dixit, Augustam Taurinorum quamprimum petiturus sum *D. lib. 27.* quo deinde flexurus iter sim, nondum constituere potui. Vale interea, Baro eruditissime, & Galliam tuam, omni studiorum genere vividam semper florentemque mirum in modum, lucubrationibus tuis magis ac magis illustrare perge.

EPISTOLA II.

ALBERTO FABRICIO

SC. MAFF.

S. P. D. { *X. Kal Octobr. an.* MDCCXXXII *Augusta Taurinorum.*

Rarissima, & sponte mihi oblata occasio, cum ex hac urbe discedens nobilis adolescens recta Amburgum contendat, desidiam excivit in scribendo meam, ut eidem literas ad te darem, quem inter paucos observo, & tanquam meritissimum in germanica literatorum republica procerem impense colo. A te quidem nihil epistolarum accepi ab eo usque tempore, quo XII Bibliothecæ Græcæ tomum, mihi, quæ tua benignitas fuit, inscriptum perhumaniter misisti. Quid agas scire cupio, quomodo valeas, quodnam opus proxime edideris, quodnam adornes, ac pares; neque enim momentum pene ullum tibi, ne dum dies præterfluit, quin cum Musis rem habeas, & in publicum bonum aliquid elucubrare pergas.

Interpellavit me nuper ornatissimis literis peruditus ex Gallia juvenis, romanam quæ nondum publici juris erat, Inscriptionem petens, simulque græcam præstantissimam mecum communicans. Istas ut videas, aliamque insuper quam adjeci, epistolæ exemplar qua continentur, & quomodocumque explicantur, tibi mit-

to; illam siquidem non defuit qui nimis propere typis committeret. Quid de Grecarum præcipue translatione sentias, vehementer scire cupio, res est si quidem, quæ dici nonnunquam vere possit *Periculosæ plenum opus aleæ. Hoat.*

Bina aspicies ad calcem numismata græce loquentia. Tarcondimoti regis spectabis caput, quod in nummis reperire, sperabat nemo. Ciliciæ, ut scis, partem tenuit; ἡ βασιλεὺς ὑπὸ Ῥωμαίων ὠνομάσθη διὰ τὰς ἀνδραγαθίας, ut docet Strabo: *superioris Ciliciæ* Plutarchus dicit *Lib.* 14, ubi reges, qui Antonio suppetias tulerunt, enumerat: ὁ τῆς ἄνω Κιλικίας. *In M. Ant.* Nominis veritatem ex numismate indubie discimus, perperam enim apud Stabonem Ταρκοδήμεντος, apud Plutarchum Ταρκόνδημος, & aliquando in Lucani editionibus *Tarco in motu*, vel *Tarcon motus*. Romanorum amicitiam coluit: Cicero cum proconsul esset: *Mihi literæ redditæ sunt a Tarcondimoto, qui fidelissimus socius trans Taurum, amicissimusque populi romani existimatur Fam. XV.* 1. Tradit Dio, a Pompeio primum stetisse, ac demum ad Antonii partes accessisse, quas strenue propugnans navali prælio interiit. Quantum Antoniis adhæserit, ac sese dediderit, nummus patefacit, ex quo discimus, gentilitium eorum nomen sibi sumsisse; prænomen quoque L. Antonii Marci fratris: ac si eorum quodammodo se libertum, aut ab iis romana civitate donatum profiteretur. Sunt quidem, qui-

quibus insuetum nimis atque etiam incongruum hoc videatur; sed regem alterum romanæ gentis nomine similiter usum in Inscriptione deprehendi, quam huic epistolæ subdam, si tempus suppetet.

Singularis profecto est & nummus alter Προυσιέων πρὸς θαλασσαν, quæ Prusias maritima alias est a duabus Prusis in eadem Bithyniæ provincia ad Olympum & ad Hypium, ut Cellarius vestras optime ostendit: Προυσιάδα τὴν ἐπιθαλάσσιον Mennon apud Photium nuncupat. Urbis huius nec Vaillantius, nec Harduinus viderunt nummos, sed unum Spanhemius memoravit ex Goltzio *Cod.* 224. Regina heic quoque occurrit, cuius nec videramus faciem, nec fere nomen sane prolatum audiimus: ubi enim ad eam perquirendam, & apud historicos explorandam me contuli, in Mithridatis ad Arsacem epistola, quæ inter Sallustii fragmenta visitur, reperisse mihi visus sum: *Nicomedes Bithyniæ rex moriens populum romanum fecit heredem, regnumque eius in provinciæ formam redactum est lib. 93*, ut ex epitome liviana constat. Inique eos egisse, persuadere vult Mithridates, quod filius jam extaret mulieris, quam ipse Nicomedes reginam promulgasset: hanc sententiam ita profert Sallustii editio aldina: *Cum filius Nusa, quem regem appellaverat, genitus haud dubie esset.* Parisiensis, cantabrigiensis, aliæque: *Cum filius Nusa, quam reginam appellaverant, genitus haud dubie esset.* Ita & batava cum Vario-

rum adnotationibus, in quibus hæc loci emendatio Apolline minime dextro procuditur: *Cum filius, quem regem appellaverat Nusa genitus haud dubie esset*. Legitur in genevensi: *Cum filius Musa, quem regem appellaverat &c.* In plantiniana: *Cum filius Musa, quem regem appellaverat &c.* Ex nummo mulieris nomen certo comperimus, neque inauditum quidem, nam *Musæ matri* Carpus libertus apud Gruterum parentat 609. 5. Reginam nuncupatam esse, numisma comprobat; quamobrem ita restituendus præclari historici videtur locus: *Cum filius Musæ, quam reginam appellaverat, genitus haud dubie esset*.

Quænam hæc Musa fuerit, statuere haud in promptum est. Admodum implexam Bithynorum regum historiam faciunt scriptorum sibi adversantes, ut videntur, loci. Ab Appiano eam repetentes, incipientesque a Prusia, qui Persei postremi Macedoniæ regis sororem duxerat, Nicomedes illi filius successit *in Mithr.*; huic Nicomedes alter cognomine Philopator. Docet historicus eodem loco, Philopatoris nepotem Nicomedem alterum Romanis regnum testamento reliquisse: υἱωνὸς τῶδε ἕτερος Νικομήδης Ρωμαίοις τὴν ἀρχὴν εὐ διαθήκαις ἀπέλιπε. Non ergo duo tantum a Prusia fuere Nicomedes, ut dici solet; sed tres, nisi quatuor velimus, Prusia altero inter tertium & quartum interjecto, ex iis quibus paulo post subsequentem paragraphum claudit Appianus. Nihil quidem statuo, cum hos extricare nodos

dos minime in præsens vacet, sed regum numerum ut augeamus, temporis quoque videtur spatium suadere; qui enim duos tantum post Prusiam Κυνεγὸν Nicomedes ponunt, sexaginta pene annos alterum ex iis regnasse, admittant necesse est, quod minus verisimile videri possit. Quidquid sit de hoc, regi Bithyniæ vita functo Romanorum Senatum *Nicomedem ex Nicomede & Nysa progenitum* substituisse, Photius tradit ex historia Mennonis: τὸν ἐκ Νικομήδους καὶ Νύσης *Cod.* 224. Hæccine Musa nostra est, & Photius ex numismate pro Sallustio emendandus? Ut credam vix adduci possim. Quam Mithridates apud Sallustium memorat, alia certe & posterior est: verum uxorne postremi Nicomedis, an filia? Uxorem putet aliquis, quam pellicis loco primum habitam reginam postea maritus dixerit, atque ab ea filium susceperit. Verumtamen sine filiis e vita decessisse, Appianus docet, ubi Bithyniam tertio bello mithridatico invasam narrat Νικομήδους πεθνεῶτος ἄπαιδος. quod de masculis intelligendum est. Ego quidem in id propendeo, ut Musam in nummo scalptam Nicomedis filiam opiner, quam reginæ nomine honorarit. Filiam habuisse, & hoc ipso nomine, a Suetonio discimus, qui *Nysæ causam filiæ Nicomedis* a Cæsare in senatu defensam tradit *Cæs. c. 49*, Musa heic quoque in Nysam fataliter pene detorta. Hanc conjecturam si admittimus, tertiam numismatis dictionem intelligemus, quæ

cetero quin quomodo explicari possit, non video: nomen siquidem continere dicemus mariti; ΜΟΥΣΗΣ ΟΡΣΟΒΑΡΙΟΣ, ut in aureo apud me ΑΡΣΙΝΟΗΣ ΦΙΛΑΔΕΛΦΟΥ. Libentius profecto legerem ΟΡΣΟΒΑΡΙΟΥ, & si unquam facultas dabitur, numisma eo loci aliquanto detritum iterum attentius inspiciam; nam Orsobaris si nomen fuit, ut Rhescuporis, Ὀρσοβάριδος potius videtur scribi debuisse, ut Σώσιδος a Σῶσις vel Ὀρσοβάρεος, ut a Βόηχορις Βοηχόρεος habemus in Plutarchi Demetrio. Videmus tamen in Gelensium psephismate Σώσιος a Σῶσις deduci, quod perinde est ac Ὀρσοβάριος ab Ὀρσέβαρις: habetur in eodem Σωσίπολις, unde Σωσιπόλιος videtur deduci debuisse. Sed de his hactenus, & nimis multa fortasse; verumtamen quæcumque occurrerunt proponere volui, ut plenius de sententia tua me certiorem facias.

Veterem Inscriptionem paulo ante memoravi, in qua rex alter appareat gentilitio sibi nomine, ac romano prænomine adscito, ut de Tarcondimoto vidimus in nummo. Illam frustra pluries tentatam ut in literarum bonum exscriberem, Secusiam aliquando me contuli. Publici quidem juris jam feci, sed cum sciam, libros italicos ad oras vestras quam tardissime perferri, exhibere heic tibi volo, ut certus sim, præclarissimum monumentum tibi non amplius differri.

IMP.

IMP. CAESARI. AUG. DIVI. F.
PONTIFICI. MAXIMO
TRIBUNICIA. POTESTATE. XV.
IMP. XIII
M. IVLIVS. REGIS. DONNI. F.
COTTIVS
PRAEFECTUS. CIVITATIVM. QVAE.
SUBSCRIPTAE. SUNT
SEGOVIORVM. SEGVSINORVM.
BELACORVM. CATVRIGVM
MEDVLLORVM. TEBAVIORVM.
ADANATIVM
SAVINCATIVM. EGDINIORVM.
VEAMINIORVM
VENISAMORVM. IRIORVM.
ESVBIANIORVM
OVADIAVIVM. ET. CIVITATES.
QVAE. SVB
EO. PRAEFECTO. FVERVNT

Arcus Secusini prænobilem titulum vides. In Actorum ac Diplomatorum Historia, qua Arti criticæ diplomaticæ viam sternere adnixus sum, ipsius Arcus faciem conspiceres, & cælaturas, quibus zophorus undequaque decoratur. Quod ad Inscriptionem attinet, multa domi servo, ut aliquando illustretur. Perobscura ante hoc detectum monumentum erat Cottiorum historia. Donnum Ideonnem fuisse, & ab iis diversum, aliasque a Cottii regno tenuisse terras, hactenus credidimus, ut

ex doctissimo Cellario inter alios abunde potest agnosci *Not. orb. ant. l. 2. c. 9*: errorem Strabonis locus seu perperam scriptus, seu male acceptus invexit. Jam vero intelligere possumus, Cottio nostro, qui dum Gallia subigeretur a Cæsare *l.* 15. *c.* 10., *in angustiis latuit*, deinde *in amicitiam Octaviani receptus principis* per Alpes sibi cognomines viam aperuit, ut ex Ammiano discimus, Donnum, eorumdem locorum item regem, patrem fuisse. Juliæ gentis nomen in Augusti obsequium Cottium sibi adscivisse, ingens nos Fornix docet, quem ipse, & simul quæ sub eo civitates erant, extruxere. Regem quidem se nequaquam nuncupat, ac si paterni regni administrationem tantum illi Augustus concesserit, ita ut tamquam romanus præfectus regeret. Fratrem quoque videtur habuisse cognomento Vestalem, qui provinciæ Ponti præfuerit, is enim ab Ovidio *Alpinis regibus ortus* dicitur, itemque *progenies alti fortissima Donni Pont. l.* 4. 16. Cum tamen Alpium suarum regimen permissum Cottio sit διὰ βίου, regem vocavit Ammianus dicto loco, & Cottii regnum sub Tiberio memoratum a Suetonio est *c.* 40. Quin posteris dominatum transmisit, filium enim ipsius, aut nepotem M. Julium Cottium alterum memorat Dio *Lib.* 60., cui Claudius Imperator τὴν πατρῴαν ἀρχὴν ἣν ἐπὶ τῶν Ἄλπεων τῶν ὁμωνύμων εἶχε, προσεπέξησε, Βασιλέα αὐτὸν τότε πρῶτον ὀνομάσας. Confirmari videmus postremis hisce verbis, quod ex Arcu

cu didicimus, regis nomen ab Augusto nequaquam Cottio permissum. Quem vero Claudius regem dixit, sine liberis decessisse, ex eo arguere est, quod sub Nerone Alpes Cottiæ Cottio rege defuncto in provinciam sint redactæ, ut Suetonius docuit, & exinde Eutropius, ac d. Hieronymus in Chronico.

Cum intra paucos dies Galliam versus iter sucepturus sim, cottiasque Alpes superaturus, vicorum & montium nomina perquirere non intermittam, ut populorum, qui in Inscriptione recensetur, explorem loca, atque in Sabaudia potissimum, & in Delphinatu vestigia, si fieri poterit, detegam. Istiusmodi recentiorum nominum indagatione *Civitates Vardacatensium & Dripsinasium*, in Brixiano marmore memoratas, & a doctis geographis nunquam agnitas, levi opera detexi, ut sub finem libri quinti Veronensis Historiæ videre est: neque enim civitatum nomine urbes intelligamus oportet, quod permultos in errorem deduxit, sed Communia quædam a vico, aut oppido nobiliori ut plurimum denominata. *Amodanam* exempli gratia in Mauriena occurrere animadverti, cum elenchum nuper percurrerem DCLVII paræciarum, quibus Sabaudia universa in sex provincias, seu valles dicamus, distributa constat: num *Adana* fuit, & *Adanatium* caput? *Saint Thibaud* habemus a Chamberiaco leucis duabus: id nominis a *Tebaviis* primitus videtur ortum, e quibus Theobaldi, exinde S. Thebaldi nomen fluxerit. Vallem habemus *Uraite*,

aliis

aliis *Iraite*; ibine olim *Iriorum* sedes? In Delphinatu ad Druentiam, quæ in Cottii terra oritur, vicus extat *Segoier*; num a *Segoviis* traducto nomine, & *castrum Sigoverii* latine olim appellatus, ut ex veteribus documentis constat? extat *Venissieu*, item haud procul a Chamberiaco *Venimes*; num a *Venisamis* & a *Veaminiis*. *Besaudunum* habetur in diensi comitatu: ibi forte *Esubiani* steterunt, nisi hos *Subiascō* connotet, aut in lucernensi valle *Bubiana*. Habetur *Vaudania*, sive *Vaudavia* sit; fortasse ab *Ovadiaviis*. *Miolans*, seu castrum *Medullianis*, quod memoratur & in vetustis membranis, indicare videtur *Medullos*. *Savines* vicus, aut *Savigny* in Genevensi, ubi Sabaudiam attingit, *Savincatium* fortasse indigitat locum: forte etiam Sabaudiæ nomini Savincates prælusere. Neque enim Cottii regnum valde angustis conclusum finibus, & ultra montes ad Italiam vergentes nequaquam progressum existimabimus, ut quidam volunt: a Secusino municipio (sic vetusti loquuntur lapides) quod Cottiarum Alpium *initium* vocavit Ammianus, usque ad Helvetiorum, & ad romanæ provinciæ fines videtur pertinuisse *Lib.* 15. *c.* 10. Brigantionem *in alpe Cottia* fuisse, testatur tabula theodosiana; eidem accensitum *Ebrodunum* testatur itinerarium burdigalense: Caturiges inter cottianas civitates numerat Inscriptio nostra, quorum caput inter *Ambrun* & *Gap*, ubi nunc *Chorges* habetur, stetit; inscriptio siquidem ibi olim detecta, in qua CIV. CA-

TV-

TVRIG. legebatur ; prisca Itineraria inter Vapincum & Ebredunum locant. Cottiorum quidem jurisdictionem Sabaudiam fere omnem opinor amplexam aliquando esse, cui & Gratianopolin, hodie Delphinatus caput, olim adscriptam fuisse, Notitia imperii docet; quod & viro doctissimo Hadriano Valesio in Notitia Galliarum adnotatum est. Usque in oppositam Rhodani ripam alicubi procurrisse nunc discimus, si *Belacorum* oppidum *Bellay* nobis indigitat: suadere hoc quidem videtur nomen *Belica* in perantiquis documentis servatum, itemque, quod ab excellentis ingenii viro abbate de Longuerue in Franciæ descriptione animadversum est; Belicam scilicet a Sequanorum civitate disjunctam fuisse. Habetur tamen & *Blay* ad ingressum Tarantasiæ vallis. Cottianæ equidem teræ minime restrictos, coarctatosque limites illud indubie probat; nempe sub Nerone Narbonensi nequaquam additam esse, sed novam Romanorum provinciam evasisse; neque enim tunc temporis exigui tractus provinciæ constituebantur. Ammianus Marcellinus post superiorum Rhodani cursum descriptum, *exordium Galliarum* fuisse tradit *Lib.* 15. *c.* 11, qua idem fluvius *raptum velocibus undis In mare fert Ararim*; *Lucan.* quod ita quidem accipio, ut magnam saltem Allobrogum partem ad cottiarum Alpium provinciam pertinuisse, intelligi inde possit. Mirari autem subit, Caturiges, Veaminios, Egdinios (num hodie *Val d' Egilde?* perperam in editis

Pli-

Plinii *Ectinos*) Medullos, in hac Inscriptione recenseri, qui & in illa apparent, quam ex Alpium trophæo Plinius recitat, cum idem auctor cottianas civitates ibi nequaquam adjectas fuisse, diserte admoneat. Augustus fortasse post Cottium in amicitiam receptum eius ditionem adauxit. Alios insuper certe populos Cottio paruisse, ex ipsa Inscriptione discimus, in qua cum nominibus ceteris locus deficeret, additum est, Et *civitates &c.* ac si dixissent, *& civitates reliquæ*. Haud illepida venit in mentem modo eorum nominum explicatio, quæ documentum vetus in taurinensi archivo legenti mihi occurrit aliquando; affirmatur in eo siquidem novaliciensis monasterii latifundia ibi enumerari, marmori ad perpetuam fidem incisa: documenti exemplum domi teneo. Sed nec anteriori ætate Ammianus multo melius censuit, Arcum enim *Secusii mœnibus proximum* Cottii *Reguli sepulcrum* credidit, ut subindicat *Lib.* 15. *c.* 10.

Quamplura ex hac urbe ad te mittere eximia monumenta possem, quæ in universalem, quam meditor, Inscriptionum collectionem reservo: invicti siquidem regis permissu, & favore ante hos decem annos veteres lapides cum literatos tum scalptos, quos in his locis reperire potui, in unum coegi, & ordinatim dispositos, novæque academiæ porticibus infixos dedicavi: in hoc autem museo, cui quam paucissimos id genus anteponas velim, præclara multa, quæ nondum innotuere, servantur. Ve-

rum-

rumtamen ad iter instruendum meum, ordinandumque, cogitationem convertam necesse est, ventis enim dare vela secundis statim aveo, ac quibusdam heic me tricis exsolvero, quod spero quam primum fore. Non omnino absum a spe, te ipsum conveniendi, quamvis tam longe positum. Regiones autem, quas primum percurrendi, ac lustrandi desiderio teneor, eæ quidem sunt, quas modo Linguadocium, & Provinciam dicimus: multas ibi, & maximas romanarum antiquitatum reliquias superesse, fuere non semel, qui mihi cumulate dicerent. Is tractus omnis, viennensi etiam comitatu adjecto, romanæ, ut scis, provinciæ nomine olim veniebat, & amplificatæ quodammodo Italiæ accensebatur. Antequam Gallias reliquas Cæsar subigeret, Narbonensem *civibus romani jam plenam* fuisse, Tullius docet *Pro Font.* Pro Gallia eam nequaquam habuisse ipse visus est Cæsar, cum Galliam *omnem* in tres dividi partes docuit. Quatuor quidem, ut par erat, Narbonensi addita constituit Gallias Augustus; nihilominus Romæ & Augusto ipsi Galliæ in LX populos distributæ excitarunt aram Narbonensi minime in partem advocata; *Tres Gallias*, & *Tres Provincias Gallias*, Galbæ nummus, & plures nobis antiqui lapides etiam secundo a Christo nato seculi ostendunt. Quin seculo tertio incisum scimus marmor prænobile in *Thorigny* castro adservatum, a tribus pariter Provinciis positum, & *Galliarum Concilium* memorans Narbonensi exclu-

clusa *V. Epist. XVIII. Italiam potius quam Provinciam* eum tractum dici debuisse, Plinius asserebat *Lib. 3. c. 4*: πόλιν τῆς Ἰταλίας Stephanus appellavit Nemausum. Senatoribus jam ab Augusti ævo cum extra Italiam peregre proficisci interdictum esset, a Sicilia & a Gallia narbonensi usque in Dionis historici ætatem ea lege non arcebantur *Lib. 53.* Soli ipsius ingenium, cœli indolem, arbores & fructus, qui e terra percipiuntur, Italiam prorsus referre, a multis didici, qui eas regiones peragrarunt; gallicam quoque dialectum ibi ad italicam valde accedere, multoque magis transactis ætatibus accessisse; quod italorum olim incolarum, civiumque romanorum frequentiam denotat. Mirum propterea videri non debet, quod ad vetusta ædificia spectat, & ad romana monumenta, ceteris provinciis omnibus Narbonensem longe præstare. Meo quidem illam perquirendi consilio commodum esset, si Nicæam iter dirigerem, & maritimas Alpes transirem; sed Cottias, ut dixi, peragrare statui, & Genevam quoque ubi multæ & præclare habentur Inscriptiones, adire. In reipublicæ literariæ bonum cura ut valeas, atque ut quam diutissime vivas.

EPISTOLA III.

HIERONYMO BALLERINIO

SC. MAFF.

S. P. D. { *Nonis Octobr. an.* MDCCXXXII. *Geneva.*

Ut videas, nequaquam quod timebas futurum esse, ut amicorum in hoc itinere obliviscar, primam, quam licuerit consequi, nondum vulgatam ad te Inscriptionem mitto; eximiam quidem illam, vulgares enim & tritas nihil moror.

PRO . SALVTE . DOMVS . DIVIN
I . O . M . IVNON . REGIN
ARAM . Q . AELIVS . AVNVS . I‾‾‾‾I
VIRG . AVG
DE . SVO . ITEM . DONAVIT . VICAN
MINNODVNENS . X . DCCL . EX
QVORVM . VSSVR . GYMNA
sic. SIVM . IN . DERCI . TEMPOR
PER . TRIDVM . EISDEM
VICAN . DEDIT . IN AEVM
sic. QVOD . SI . IN ALIOS . VSSVS
TRANSFERR . VOLVERINT
HANC . PECVN . INCOL . COL . AVEN
TICENSIVM . DARI . VOLO
L . D . D . V . M

Mar-

Marmor quatuor ab hinc mensibus, cum immanis seculorum spatio

Nec Solis radii, nec lucida tela diei Lucret.

alte terra obrutum precussissent, inopinato casu radices arborum refodientes coloni dextere. Viris clarissimis exemplar debeo, Ruchat, qui lapidem excripsit, Abauzit, qui mecum comiter ac perhumaniter communicavit. Minnodunum hodie *Moudon* est: haud recte in theodosiana tabula *Minodum*, & in Itinerario *Minnidunum*; neque item recte, sed ex vitio in numeralibus notis, quod ab Aventico Helvetiorum M. P. XIII distare dicatur, sex enim numerantur leucæ. Nobili monumento *locus* est *datus decreto Vicanorum Minnodunensium*. At Derci tempus quid connotat? ἐπιχώριον puto plurium dierum solenne, vel statum aliquod anni tempus, cui e nativa regionis dialecto istuc nominis adhæserit; neque enim a δέρκω repetendam opinor vocem, neque Dercem a syriacis usque plagis huc arcessendam.

Alterius vici, Albini scilicet (hodie *Alby* in comitatu genevensi) præclaram Inscriptionem accipe ante hos XV menses pariter e terra erutam.

C. SEN-

C. SENNIVS . C. F. VOL . SABINVS
PRAEF . FABR .
BALINEVM . CAMPVM . PORTICVS
AC . AQVAS . IVSQVE
EARVM . AQVARVM . TVBO
DVCENDARVM
ITA . VT . RECTE
PRAEFLVERE . POSSINT . VICANIS
ALBINNENSIBVS . D. S. D.

Recensitam audio statim fuisse in eximiis Diariis trevultiensibus, doctèque illustratam. Vici huius nulla hactenus prodierat mentio; quod enim apud Gruterum in laterculo militari cum aliis pluribus Italiæ oppidis memoratur 301. 1 ALBIN timilium est. Mirum profecto quantum Geographia antiquis lapidibus debeat.

Jam vero quid agis cum fratre, & quomodo procedunt præclara quæ meditamini? ne despondeatis animum: editionem Norisii vestram, qui viderunt, impense laudant; & præcipue Historiam donasticam, quam si videret Norisius ipse, supplementum libenter adoptaret, & suam vellet universam esse. Perdoctus dominicanus noster p. Bernardus de Rubeis ecquid rursus Venetiis parat? Becellio, Pindemontio, Montenario, ceterisque ex academia nostra salutem dicas: Musellio quoque de re literaria apud nos adeo benemerito. Valete.

EPISTOLA IV.

NICOLAO FRERET

SC. MAFF.

S. P. D. { *XI. Kal. Novembr. an.* MDCCXXXII. *Lugduno.*

Quod mihi diu in optatis fuit, & quod non semel aggresso perficere nunquam licuit, ut Galliam peragrarem, & Lutetiam Parisiorum inviserem, id tandem eripiet mihi amplius nemo; nubiferas Alpes jam superavi, Lugdunensem urbem jam teneo. Continere me non possum, quin hoc tibi, VIR CLARISSIME, annunciem, ut scias, me ex animo loquutum fuisse, cum perhumanis tuis literis olim rescribens, de iisdem rebus tecum me aliquando, Deo favente, etiam collocuturum significavi. Hoc tamen non ita confestim accidet, prius enim Nemausum petere, & Narbonensem provinciam circumire statui. Hunc veteres lapides, qui in hac urbe superant præclarissimi, non sine diligentia perquiro, summaque voluptate perlustro. Duos ex hisce elogiis accipe, typis quod meminerim nunquam commissos.

LOCAND N CIRC
SEX. IVL. IANVARIVS
AEDIL DAT

D M
Q. CAPITONI PROBANI
SENIORIS DOMOROM
IIIII VIR. AVG LVGVDVN
ET PUTEOLIS
NAVICLARIO MARINO
NERIVS ET PALAEMON
LIBERTI PATRONO
QVOD SIBI VIVVS INSTI
TVIT POSTERISQ SVIS
ET SVB ASCIA DEDICAV

Prior non ita pridem eruta Valetæ nobilis civis viridarium exornat, magnisque literis docet, in circo vel noviter extructo, vel instaurato, vel ampliato loca numero quingenta Januarium Ædilem Lugdunensibus impensa sua constituisse: huius generis Inscriptiones perraro occurrunt. Marmor alterum ante annos XV in Rhodani alveo repertum, prælatæ ac peramplæ instar basis media stat in via prope veterem suburbii ecclesiam. Nemo, quod constet, ad hanc diem excripsit, obscuræ siquidem, semesæ, ac lectu difficiles alicubi vix apparent literæ. Antequam ad hunc lapidem accederem, fuere qui de illo sermonem habentes percunctarentur a me quidnam officii esset

Senior Domorum, ita enim legerant. Respondi, comitem Domorum ex theodosiano codice mihi esse quidem notum, seniorem autem Domorum audisse nunquam. At nisi cognomen velimus, Quintus Capito senior heic dicitur ad alterius distinctionem, qui, ut videtur, tribus iisdem nominibus utebatur; eiusque patria solenni enunciatur lapidaria formula *Domo Roma*, quamvis in marmore conjunctim exaratæ dictiones sint. Animadvertas velim Sevirum Lugduni, & Puteolis: item *ἀνομαλίας*; *Capitoni*, deinde *Probani*; *Senioriis*, deinde *Naviculario*; *Quod* substantivo præcedente nullo: monumentum *sibi vivus instituit, dedicavitque*, & tamen liberti facient, Inscriptionem scilicet addidere. Documentum capere possumus, ut quam cautissime in rejiciendo procedamus.

Themesithei epigraphem, quæ post æream illam cum paucissimis comparandam, inter huius urbis alias palmam sibi videtur arrogare, diu quæsivi, & non nisi post multam indaginem reperi in impluvio domus ad viam merciariam positæ. Muri angulo præsidio est, albarii operis tamquam vulgaris aliquis later injuriam passa. Legitur tamen adhuc, & justo volumini suppeditare materiam potest. Eam inter Sponii Miscellanea per lege si lubet; at minime laudabis puto siglorum, quam is auctor affert, explicationem: præcipue ubi habetur in marmore VICEXX ET XXXX, enunciare autem jubet *vice vigesimæ & quadragesimæ*

mæ pag. 148., quod nihil est. In veronensi quidem lapide ex compendiis XXLIBREG, quæ Scaliger, aliique inexplicata reliquerant, familiam *vicesimæ libertatum regionis* transpadanæ latere intellexi, ut libro sexto Historiæ monui; sed in Lugdunensi Temesitheus vice proconsulis, & *vice vicesimarii, & quadragesimarii* in provincia Asia fuisse dicitur, illorum nempe vectigalium exatoris loco. *Vice presidis agentem* thorignensis Inscriptio per consequentiam literarum exhibet. Vicesimarii mentio est apud Petronium Arbitrum *cap.* 65.

Quod nuper innui, & jam diu spoponderam, paulo ante discessum meum in Italia opus prodiit, *Verona Illustrata* inscriptum. Percurres illud, ut spero qui Italicam linguam perfecte calleas, superque lucubratiunculis meis, *De Italis primitivis* præsertim, perbenigne me interpellaris, ac Tragœdiam nedum legere, sed gallice etiam vertere volueris. Quamvis libri inscriptio res veronenses videatur tantum promittere, multæ in illo inquisitiones ex temporum, factorumque serie invenerunt locum, quæ ad universalem eruditionem pertinent, & ob argumenti gravitatem, novitatemque injucundæ, ac prorsus inutiles fortasse non habebuntur. Implexam scripturam illam, quam gothicam, langobardicam, saxonicam, francogallicam, aliisque appellamus nominibus, nihil aliud esse, quam romanam celerem, sagacissime olim olfecisti ex paucis verbis, quibus id explicatum nolebam; nunc

vero argumentum hocce in XI Historiæ libro fuse pertractatum videbis, eamque sententiam, quamvis communi placito refragantem, tam perspicue, ni fallor, propositam, & comprobatam, ut sint qui non perspicere affirment, quid reponi possit. De gallicana, ut vocant, itidem scriptura agitur, ac de Græcorum triplici scribendi methodo. Circa antiquas metropoles audisti credo ob Dissertationem quamdam multis ab hinc annis Veronæ editam acerrimas suscitatas disputationes. In ea materia vis crederes quicquam adhuc latere potuisse nondum discussum. Verum, Deus bone, quam multi quidnam hoc quæstionis, & controversiæ esset nequaquam intellexerunt! non defuere, qui sententiam meam oppugnasse sibi plauderent, postquam trita multa ita congessissent, ut ex iis nec quid ego dixerim, nec quid ipsi docere vellent, eruere esset. Librorum etiam relatores non defuere, qui ex eorum fide qui sugesserant, ea mihi in hoc argumento imputarint, quæ nec protuli, nec somniavi unquam. Rem modo ita in octavo libro, explicavi, ut concessum iri aliquando sperem, distinctum hactenus ut plurium non fuisse inter romanas provincias, & inter geographicas, proptereaque nequaquam animadversum, metropoles regionum & gentium fuisse, minime vero provinciarum a Romanis ob præsidum suorum administrationem constitutarum. Imputatum mihi est, hæc, & alia quædam in aliis voluminibus a me exposita, nondum a quo-

quam

quam animadversa dixisse; quod quidem jactantiam sapiat. D. Hieronymus in Præfatione ad Interpretationem nominum hebraicorum librum illum suum *novum Opus* cum appellasset, *& tam Græcis quam Latinis inauditum* professus esset, subjunxit: *non quo studium meum insolenter extollam, sed quod sudoris conscius ad lectionem eorum provocem nescientes*. Quæ quidem postrema s. Doctoris verba opellis a me profectis vellem præmissa; ut constaret omnibus, si quicquam mihi fortasse excidit, ex quo de novitate mihi ipsi aliquando viderer placere, id profecto non quostudium meum insolenter extollerem dictum, sed ut sudoris conscius ad legendum provocarem, atque ea non sine observatione aliqua transilienda esse admonerem. Sed tum de his tum pluribus eiusdem momenti discussionibus, quæ passim in his voluminibus, instituuntur, quid illustres ceteri in percelebri academia colegæ, cum Parisiis fuero, avide sciscitatum veniam, atque ut per vestram doctrinam proficiam, acurate exploratum. Vale.

EPISTOLA V.

DOMINICO PASSIONEIO

PONTIFCIO A CÆSARE LEGATO

SC. MAFF.

S. P. D. { *III. Kal. Nov. an.* MDCCXXXII. *Nemauso.*

Cum probe sciam, præstantissimum ingenium tuum duas res ægre ceteroquin consociandas omni tempore perfectissime conjunxisse, miram nempe rerum agendarum solertiam, & acerrimum studium literarum; cumque inter omnes constet, gravissima, in quibus perpetuo versatus es, negotia ab amore disciplinarum, & a perpetuo librorum consortio te nunquam avellere potuisse; liceat mihi in splendidissimæ qua fungeris summæque legationis munere occupatum paulisper a rebus maximis avocare, & ad antiqua monumenta, quibus præcipue delectaris, traducere. Inscriptionem reperi extra huius urbis muros, prope turrim magnam, quam vocant, a septo, sive mobili Alisonii hortos claudente maceria obtectam, atque occultatam, quam si ante oculos tuos, nulla interposita mora, sisterem, operæ pretium me facturum putavi.

SVLPICIVS COSMVS REST
LARIBVS AVG
SACRVM ET
MINERVAE
NEMAVSO
VRNIAE
AVICANTO
T CASSIVS TL
FELICIO EXS
VOT

Ignotos, atque epichorios deos, quos *municipes* vocavit Minucius Felix *C. 6*, & *deos decuriones* ludicre Tertullianus *Apol. c.* 24, quod eorum honos & auctoritas extra unius oppidi, aut territorii fines non extenderentur, multos deprehendimus variis in locis: *Udisna* & *Cuslanus* in academiæ veronensis museo conspiciuntur: sed tres confertim occurrere, nisi in isto lapide non memini *Rein. pag.* 303. De Urnia, & Avicanto coniecturam faciet qui volet: deum Nemausum antiqui lapides non ignorant, sed minime in eo spectatur, quem ipsi dicatum Reinesius & Sponius opinati sunt, diminutum afferentes, & ultra quam sit decurtatum; honores enim continebat Vlpio Nervæ Traiano Nemausi habitos. Extat marmor ad Coronæ portam, inscripti zophori speciem præbens ab utroque latere mutilati,

.:.: ΝΕΑΙΚΙΙCCΝ ΝΕΜΑΥCΩΤΩΝΑ .:.:
.·.·.·.·ΟΥΥΝΤΡΑΙΑΝΟΝΚΑΙCΑΡΑ-
CΕΒΑCΤΟΝ.·.·.·.·

E li-

E literarum vestigiis suspicari possumus, scalptum fuisse Συμελικῆς ἐν Νεμαύσῳ, sed multæ dictiones desunt, & fortasse prior versus totus. Percrebuit apud omnes rumor, Herculis filium Nemausum fuisse, urbisque huius conditorem, atque auctorem nominis. Si me audis, non ἀπο, Νεμαύσυ Ἡρακλείδυ, ut Stephanus item tradit, sed a fronte denominata urbs est, qui prope muros, & olim intra muros, e terra largus exsilit, ac in morem fluminis nobili aquarum copia statim fluit. Plurima ab fluviis, fontibusque nomen oppida accepisse, pervulgatum est: Aquileiam quoque cum illis numerandam esse, Veronam meam quomodocumque illustrans adnotavi *Lib.* 3; qui enim in Plinio *Natiso*, apud Zosimum *Aquilo* est? Scimus pariter, fluvios & fontes pro diis olim habitos; cuiusdam fontis delubrum memorat Cicero de Natura deorum, & in Augurum precatione plurium, exiliumque fluminum nomina locum habuisse; ibidem docet *In cla. urb.* Fonti autem, de quo verba facimus quid esset antiquitus nominis, ab Ausonio discimus, qui Burdigalensem celebrans, hæc habet:

Non Aponus potu' vitrea non luce Nemausus
Purior, æquoreo non plenior amne Timavus.

Præter incognita numina, inter quæ in posterum Urniam recensebimus, & Avicantum, notiora quoque insuetis quandoque prodeunt cognomentis aucta, quæ sive a regione, aut loco;

co, sive à gente, aut nobili etiam viro aliquo, ut plurimum desumebantur. Nondum innotuit, quam heic tibi describo, e diocæsi lingonensi Inscriptio accepta. Numina Augustorum quæ præseferant in Italia nulla, quod modo succurrat, sed alia hactenus in Gallia vidi epigrammata duo. Magnum quid diis suis appingere, misellis Paganis videbatur, cum ab imperatoribus coli enunciabant, quod Acta Martyrum testantur pluries. In Passione ss. Epipodii & Alexandri deos venerari jactat præses, quos etiam *sacratissimi principes venerantur*,

MERCVRIO ET MINERVAE
ARNALIAE
NVMINIBVS AVGVSTORVM
SACRVM
C. LVCCEIVS MARCELLINVS
DECVR
V S L M

Animadvertisti, puto, vir præclarissime, singularem illam ante priorem titulum notationem: *Sulpicius Cosmus Restituit*. Quem T. Cassius Felicio *exs voto* (ut in aliis *uxsor*; *vixsit*, *exsempla*) dedicaverat, perierat forte casu aliquo lapis, aut commode legi non poterat; quapropter religione ductus consimilem alium Cosmus poni jussit. Habemus ergo nos quoque in re lapidaria versantes restitutiones nostras, nec tantummodo, quibus adeo sibi placent, numismaticorum hominum filii suas. Perrara

rara hæc formula in lapide itidem, quem Viennæ ante s. Petri portam nuper exscripsi, occurrit mihi;

MATRIS
AVGVSTIS
D. DIMARIVS
MESSVLVS
RESTITVIT
EX VOTO

Chorierius prænomen omisit, Gruterus ita protulit: D. D. IMARIVS 90. 1, perperam emendarunt Pighius & Scaliger, *Matribus*, & *L. Marius*: dicatos *Matris* in his regionibus & alios inspexi. Verum funerei quoque heic loci deprehenduntur tituli restituti. In Cæcilii Nundini epigrammate, quod apud Gruterum solennibus verbis clauditur, *Vivens Posuit*, marmor, quod in hac urbe adhuc visitur, hæc subjungit 723. 6:

Q. CAECILIO NVNDINO
SYNTICHE VXOR RESTIT

Narbonensem, quam Gruterus incipit *L. Carnelius*, optimæ notæ codici sic consignatam invenio 867. 6:

VIVIT
L. CORNELIVS
L. EVGENIAE
L. COR. GRATVS
RESTITVIT DE SVO
IN FRO. P. X.

ubi non *Luciae Eugeniae* interpretari te opinor, ut fieri solet, sed *Libertae*; cuius funebrem lapidem Cornelius eum restitueret, minus faustum omen avertens, superare se, æthereaque aura vesci præmittit, quod Narbonæ solenne erat. Jam vero detinere te amplius non decet,

Ne in publica commoda peccem
Si longo sermone morer tua tempora. Horat.

Da operam ut valeas, utque de tua erga me benevolentia spem, atque opinionem confirmes.

EPISTOLA VI.

Pat. MONTAUZANIO

SC. MAFF.

S. P. D. { *III. Idus Nov. an.* MDCCXXXII. *Narbonæ.*

Cum Lugduni essem, inter humanitatis ac singularis benevolentiæ argumenta, quibus me devinxisti, ad s. Irenæi te mihi comitem præbens ac ducem, plures ostendisti Inscriptiones veteres, quas privato muro prope templum infixas museoli cuiuspiam speciem habere, jure optimo dicebas. At quodnam ego museum amplissimum, quodnam antiquariæ thecæ novum genus, & alibi non videndam cimeliarchii rationem ac modum Narbonæ reperio publica siquidem urbis mœnia ex antiquis, qua inscriptis qua figuratis, lapidibus non minimam profecto portionem constant. Summa murorum pars huiuscemodi marmorum serie circumundique coronatur, duplici etiam interdum ordine. Propugnaculorum præterea facies, ut vocantur, cimelia id genus fere omnes in medio congesta ostentant, ad aliquas oppidi portas aggerata pariter, & cumulata. Equidem haud leviter & perfunctorie singula dinumeraveris. Veruntamen eheu! mœrorem potius quam lætitiam tantæ opes excitant; nihil enim aliud ut plurimum nisi frusta; fragmina, deformes truncos,

cos, informes reliquias intueri est. Quemadmodum si post atrox prælium completum strage campum percurras, ac multiplicibus mirisque modis mutilatos homines,

Armaque, corporaque, & permixtos cæde virorum Virg.

obtruncatos equos, avulsa humeris capita, pedes, manusque decisas, galeas, clypeos, gladios, dimidiata omnia, confracta, & lacera aspicias, eodem prorsus aspectu hæc tibi monumenta, sive monumentorum insignia occurrunt. Quas, Deus bone, veterum ædificiorum subsistentes adhuc prænobiles partes subruisse apparet, qui sub Francisco I rege maximo, hos muros construxere! Quamvis autem literæ, ac tituli divulsiones, mutilationesque easdem subierint, non paucos tamen Seguierii mei, atque ob altitudinem telescopioli ope, in commentarios retuli: eorum aliquos pagella continet, quam Epistolæ adnecto. Sepulchrales quidem sunt, sed ita sæpe concepti, ut a vulgaribus formulis recedant, & aliquid doceant.

Inusitatum & incredibile ni vidissem, terreni spatium monumentum sibi vindicat, & sacrum facit, in cuius epitaphio pedes in fronte CCCXXV, in agro CXCV consignantur. Comprehendi ea mensura puto, quidquid agri culti, & fortasse etiam ædificiorum, monimento ob tutelam cedere jubebatur. Vinetum & area cum horreo, & cisterna ad jugeri amplitu-

tudinem Cherusæ sepulcro devoventur apud Fabrettum *Ins. p.* 223. Gentes Caemeleiam ac Tessiliam in lapidibus, ut puto, non habebamus. Manii Clodii sororiantes inspicis, cum *pedibus quadratis* totidem? unam prætereuntibus adversam, aversam alteram stetisse opinor. Quo, & in quod hospitium veniundum nobis demum sit, admonet postrema: in ea *hoc* scalptum est pro *huc* populari prolatione. Præclarum lapidem apud me servo, in qua *hoc mansum veni* legitur: nimirum *huc*, *ut perpetuo maneam*. Propere, ac raptim scriptam epistolam excusatam habeas. Doctissimo p. Souciet, ceterisque de quibus verba fecimus, si forte eos per literas aliquando convenis, quanta eorum doctrinæ existimatione tenear, quantumque eos alloqui cupiam, prænuncia. Vale

IVLIA
M. FIL. TISSILIA
DOMICILIVM
SIBI ET SVIS

Θ
PRIMOGENIO
SER DOMINI
AMANTISSIMO

BAEBIUS Q F
TERTIVS
..... RIVS
IN SVO
REQUIESCIT

VIVONT
T PACONIVS
T L ALEXA
OCTAVIA. Ↄ. L
ASIA

OLIA

LVCRETIA
L. F. MAXVMA
VIVA SIBI ET
VOCONIO
L.F. DIPHILO VIRO
M H N S

OLIA Q. L. IVCVNDA
LOCVM
SEPVLTVRAE
Q. OLIO Q. L.....

VERECVNDVS
ASSORENI F ET
SILVANVS
ASSOREN
PRIMVLA VERIA
VIVI FECERVNT
HOC MON SIBI
NE QVIS HE VENDAT

D. VOLTILIVS
D. L. FRONTO
HIC EST SEPVLTVS
VIVIT
OCRASIA
MAXVM
VXSOR

... LL NAPE VIVA FECIT
... CATIO NEREO VIRO
... CATIO IOGENVO FIL ET
... HILARIO CONTVBERNALI
... LICINIO SEVERO SODALI
... LICINIO D F PRIMO TVTORI
... ADIAE T L COMMVNI

VTAE..... AMILL.....
..... RELLINARIO
...CAESARIS $\overline{N}$ QV .....
..... VNT NARBONE .....
.....
IN F P CCCXXV
IN A P CXCV

Ad Carmelitas.

VIVIT
C . IVL . SP . F . SENTIN ..
OCR . SIBI . ET VALERIAE
SECVNDAE . VXSORI .
FEC . VALERIO . CELSINO
ET . IVL PEREGRINAE
IVL QVIETAE . SECV
NDILLAE TERTI . F
C . TECERIALIS

Ibidem.

V
M CLODIVS
EPAPRA
SCANTIAE
GEMELLAE
VXSORI

IN . A . P . Q . XV

V
M CLODIVS
EPRAPRA *sic.*
SCANTIAE
GEMELLAE
VXSORI

IN . FR . P . Q . XV

In Pal. Archiep.

VIVONT
M CAEMLEIVS
M . L . PHYRENÆVS
SIBI ET
MAXVMAE VXOR
M CAEMLEIO
MAXVMO

Ibi-

Ibidem.

.....

HOSPITIVM
TIBI HOC
INVITVS VENIO
VENIVNDVM
EST TAMEN

EPISTOLA VII.

NICOLAO GARELLIO E qu.

SC. MAFF.

S. P. D. { *IV. Kal. Decemb. an.* MDCCXXXII. *Telone.*

Non excidit mihi, sed penitus insidet, te advectorum e Stiria ad Cæsaream, cui merito præes, bibliotecam milliariorum lapidum epigraphes diligenter exscriptas perhumaniter ad me misisse. Ut vicem aliquam rependam tibi, atque ut eximiis item monumentis eruditionem demerear tuam, ex milliariis cippis, quos in hoc itinere studio singulari perquisitos inspicere mihi contigit, accipe selectissimos. Africanum præmittam, cuius exemplum comis mihi juvenis Natoerius tradidit nuper: lapidem conspexit ipse anno proxime elapso, & gra-

phice repræsentavit. Mirum non est in lucem nondum venisse, nam in vinario receptaculo, dimidia a Tuneto leuca, sub doliis jacet. Literæ L inferior linea in marmore valde producitur, & eodem prorsus modo sinuatur, ac in africanis illis Inscriptionibus, quæ musei florentini vestibulum decorant. Milliarium numerus XLIX a Carthagine, vel ab alia quapiam civitate distantiam indicabat, neque enim ibi olim cippum stetisse, putandum est.

IMP CAESAR
M AVRELLIVS
ANTONINVS
PIVS FELIX AVG
PARTHICVS MAX
BRITANNICVS MAX
GERMANICVS MAX
TRIB POT XVIIII
COS III PP
RESTITVIT
XLIX.

Jam vero quos in narbonensi provincia contrectavi egomet, atque exscripsi. Horum aliquos Grasserus ac Bergierius exhibuere, tum ex eorum libris alii plures: sed vel non sine discrimine, vel περιςάσεις minime admonentes, quas nonnihil intererat novisse.

IMP

IMP CAESAR
DIVI F AVG PONTIF
MAXVMVS COS XII
COS DESIGNAT XIII
IMP XIIII TRIBVNICIA
POTESTATE XX

TI CAESAR
DIVI AVG F AVG
PONTIF MAX
TRIB POT XXXIII
REFECIT ET
RESTITVIT
LXXIII.

TI. CLAVDIVS
DRVSI. F. CAESAR
AVG. GERMANICVS
PONTIF. MAX. TRIB
POT. COS. DESIG. II
IMP. II. REFECIT

IMP CAESAR
DIVI HADRIANI F
T AELIVS HADRI
ANVS ANTONINVS
AVG PIVS
PONT MAX TRIB
POT VIII IMP II COS IIII
PP RESTITVIT
I

RESTITVTOR ORBIS
IMP CAES
L. D. AVRELIANO
PIO FEL. INVICTO
AVG PONT
MAX GERM MAX
GOT MAX PART MAX
TRIB P. IIII COS III
P. P. P COS
V

Augusti teres columna, integra omnino & incolumis, sex pedum altitudinem habens, diametrum duorum, in ecclesia visitur Milhaud vici, cuius nomen e milliario videtur esse, a Nemauso milliariis quatuor. At sciendum, columnas quatuor alias itidem haberi, eadem prorsus Inscriptione & mensura eadem, in vicis Margaritæ, Caveirac & Teillani, ubi duæ servantur in Montholii viridario, a Nemauso leucis quatuor: translatæ omnes, atque ex antiquo loco dimotæ. Cum numeralibus notis careant singulæ, conjicere possumus, id moris sub Augusto nondum invaluisse. Uniuscuiusque milliarii terminum lapide signare, consueverant quidem jam a punico bello Romani, ut Polybius docet; sed quot a proxima, vel a primaria regionis urbe millia passuum numerarentur, insculpere, argui videtur ex his Augusti cippis vetustiori ætate non consuevisse *Lib.* 3. In iisdem hortis cippus Tiberii

rii extat septempedali altitudine, latitudine bipedali; haud rotundus siquidem, sed quadratus, cum basi, & tabella, in qua Inscriptio est. Horum iterum in nemausensi territorio quatuor reperiuntur alii, eadem prorsus specie, & titulo; quamvis tribunitiæ potestatis extremæ notæ in duobus fere detritæ sint: semel scilicet viam muniri Tiberius jussit: subjectus tantum milliarium numerus in unoquoque diversus est: qui eodem itinere, dimidia a Nemauso leuca, in via stat, LXXXVII præfert, etiamsi litera L parum perspicua. Hi duo quantum Narbona abesset, designabant. Verum e Coronæ porta si quis exeat, leuca confecta ad pontem Carti persimilem inveniet, a loco suo nunquam forte dimotum, corrosa quidem admodum inscriptione, sed notis IIII ad calcem conspicuis. Progredienti per antiquam viam alius occurret ad Manduelli vicum integro titulo, & cum nota V. Demum haud procul a *Beaucaire* numero consignatus XIII conspicitur. Via hæc Arelatem ducit: millia passuum a Nemauso computantur.

Claudii eodem prorsus exemplo undecim apparent adhuc in milliariis lapidibus Inscriptiones. Nemausi, una, & Narbonem versus Milhaudi, Bernis, ubi duo, Teillani, ubi tres in viridario: Arelatem versus ad pontem Carti, in ecclesia *Couloure*, Mandueli, & Redessani, ubi sacræ ædis limen milliaris columna sufficit. Consimiles sunt omnes, teretes, & cum inscriptione in tabella. Prope Cartum quatuor

eadem forma conspexi stantes columnas (ædiculam siquidem quamdam s. Martini fulciebant, antequam corrueret) eidem ut videtur officio prius destinatas, sed quæ adhibitæ nunquam, neque inscriptæ fuerint. Suspicabimur ne adhibitas quidem, ac collocatas, sed reipublicæ tempore, propterea nequaquam inscriptas, quod is usus nondum obtinuisset? ante Augustum certe genuinam milliarem epihraphen habemus nullam; nec Plutarchus, qui columnas a C. Gracco κατὰ μίλιον dispositas, aut Strabo *In Gracc. lib.* 7, qui in via egnatia erectas memorant, de inscriptione addita quidquam innuunt: non præsidum, aut consulum, sed ad viarum aggeres, *vetustis*

Nomen cæsareum nitet columnis, In Prop.

canebat Sidonius. Ex prænominatis quædam ægre ob abrasionem leguntur. Numerales notas illarum neque tenet, neque tenuit ulla: supervacaneum, opinor, eas addere duxerunt, quod hi lapides apud Tiberianos collocarentur, a quibus intervalla jam docebantur. Ceterum hæc assentationis potius quam refectæ viæ monumenta existimo; quis enim labefactata jam credat Claudii tempore itinera a Tiberio restituta, & Tiberii tempore ab Augusto instaurata? Appiam viam admirabatur Procopius tot secula infinitis propemodum plaustris, jumentisque insessam continenter, atque decursam, tam integram etiamnum esse, lapidesque omnes

tam

tam firmiter inter se cohærere, ut non arte, sed natura coagmentati viderentur, cum ne minimum quidem adhuc a compagine recessissent: οὐδὲ τῆς ἁρμονίας παντάπασιν διαπέπριν-ται *Hist. Goth. lib.*

Antonini Pii rotundas columnas quatuor inspexi cum quadrata basi ipsissima Inscriptione exaratas. Quæ ante Nemausi portam propugnaculo infixa est, sub titulo milliare præ se fert II. Numero I consignata haud procul ab oppido visitur; quæ III ad s. Cæsarium; quæ VIII in vico *Ucbaud* adhuc stans. In eodem tractu vitæ, quæ Narbonam tendit. Tiberius ab ipsa Narbona, Antoninus a Nemauso distantiam notat. Quinque igitur, aut sex leucarum spatio XXV intueri milliares lapides gestii, & illos quidem prænobiles, atque ingentes. Neque vero plures ex iis reperire potuissem unquam, nisi mihi Seguierius meus præsto fuisset, eruditus omnino juvenis, Nemausi nobili loco natus, qui optima meditatur, ac parat, & mihi se non hac tantummodo provincia, sed totius itineris (quod me summo gaudio affecit) comitem exhibuit.

L. Domitii Aureliani magnificus cippus, quem doctissimus Pagius celebrem reddidit, Forojulii est in interiori palatii Episcopalis impluvio. In sex, aut septem alios id genus titulos incidi inter Forum julium, & Aquas sextias, sed ita exesos, ut ea fragmenta referre nihil juvet, cum nihil doceant. Quatuor eiusmodi, Augusti singulos, Bergierius attulit:

lit: *L.* 4. *c.* 40., atque ex iisdem schedis Sponius quoque *Misc. pag.* 166; tanquam in lapideis campis, quos Plinius memorat, extantes: in illis frustra cippos perquisivi, sed earum inscriptionum monstra in mss. pluribus varia facie deprehendi: ut exhibentur, spuriæ omnino inscriptiones sunt.

Cum literatorum milliarium lapidum principes tibi repræsentarim, cuiusmodi Augusteos opinor esse, ultimum nunc exhibere volo: nullum certe inferioris ætatis superesse memini. Typis commissus est pluries; sed hæc ipsa est ratio cur rursus committi debeat.

SALVIS DD NN
THEODOSIO ET
VALENTINIANO
PF V AC TRIVM
An Chr. SEMPER AVG XV
35. CONS VIR INL
AVXILIARIS PRAE
PRAETO GALL
DE AREL M...
... IARIA PONI...
.....

Novum est, præmissis utrorumque imperatorum nominibus, Theodosio tantum *Pii Felicis Victoris*, & *XV consulis* elogium addi. Hanc columellam in urbe arelatensi ante Societatis Jesu templum videre est minus elegantibus li-

te-

teris insculptam. Ut postremos versus, id quod caput erat, inspicerem, cum e terra, & silice non eminerent, circum circa fodiendum fuit. Versu penultimo post M alte cavata est petra; qua injuria duo, vel tres literæ absumpte sunt. Gruteri ævo aliquanto integrior videtur fuisse; is enim ita protulit:

DE ARELATE MA...
MILIARIA PONIS
M. P. I.

Diurna luce clarius, duo SS desiderari, ita ut doceamur, inlustrem virum auxiliarem præfectum prætorio Galliarum *de Arelate Massiliam* milliaria poni jussisse: scribendum siquidem erat PONI I. aut IVS. nam *jussit* ferebat solennis clausula, non *statuit*, aut *suscepit*. Pontanus in itinerario narbonensis Galliæ de Arelate *Mamillaria* somnians, mirum quot eruditos viros transversos egerit, ac nullam in lapide deesse literam persuaserit. Fuere & qui deesse crederent, sed perperam supplerent: Reinesius enim *Maritima* interpetari jubebat. Sponius *Matre*.

Milliarii lapides si aliquando, quod perraro occurrit, in antiquo loco stantes reperiantur, romanas vias nobis indicant, a quibus hodiernæ sæpe declinant. In Itinerario *Via Aurelia* dicitur, quæ a Roma per Pisas, & Alpes maritimas Arelatem usque protendebatur: ad Hispaniam exinde procedebat. Quod publicas vias

spe-

spectat, veteres spiritus Narbonensis prima etiamnum fovet, quæ enim nunc in ea sternitur, ac munitur, Romanorum magnificentiam revera æmulatur. Videtur etiam ex lapideis cippis antiqui milliaris mensura disci posse. *Casti* pons a quarto lapide procul dubio nomen habuit; *Uchaud* vicus ab octavo: nam & id Pii columna docet, & illius ecclesiæ documenta, in quibus *s. Paullus ab octavo* nuncupatur. Leucæ quadrante circiter utra *Manduella* tiberianum lapidem cum conspicatus essem erectum, ab hodierna via, vestigia quædam secutus, decedens, accedensque ad lucum, contra s. Vincentii pagum alterum reperi aliquanto inclinatum, quem e paucis quæ supersunt literis Augusto tribuas: intermedii ab uno ad alium spatii curavi ut me, necnon Seguierio spectante, accurate caperetur dimensio: perticæ hexapedæ deprehensæ sunt 756, hoc est pedes 4536 quibus, cum pes gallicus uncia una, & præterea unciæ sextante; antiquum pedem excedere putem, quinque millium circiter romanorum pedum longitudo conficitur; hoc est antiquorum passuum, quos & geometricos dicimus, millium. Duos item stantes, & successivis signatos numeralibus notis inter Salonem, & s. Maximinium cippos inveni, sed quo minus interstitium metirer, malus imber prohibuit, & *stridens Aquilone procella. Virg.* Ægre tamen, ut fatear, quidquam certi his indagationibus eruere possumus. Diligentissime quidem intervalla veteres metiebantur, quod e

ve-

veronensi præcipue milliario colligo sæpius edito, in quo post passuum ab urbe millia VIII, additur APXXXX, quas singularias fuere qui haud interpretabiles dicerent; sed explico *Adhuc*, hoc est *præterea*, *pedes XXXX*. Verumtamen neque omnino constat, ab antiquo situ nunquam avulsos cippos, neque recta antiquitus linea viam processisse. Meliori ergo argumento in Veronensi historiæ libro sexto definitur, opinor, Romanorum milliaria hodiernis Italicis quincuplo minora fuisse. Id quidem ibi ex eo satis elucere colligitur, quod vici *Quinto* a quinto lapide olim, & usque in hanc diem italice vocati, quatuor nunc milliaria a civitatibus absint, quod *Vigesimo* in florentia ditione ab urbe Florentia, non viginti, sed sexdecim hodie milliaria distet; quod Modiciam a Mediolano milliaribus XII longe esse, Paullus diaconus scripserit, quæ hoc tempore habentur X, & quod Brixiæ a Verona intervallum milliarium fuisse L, Luitprandus tradat, quæ hac ætate XXXX dicimus.

Ulterius progredi, maximisque te muneribus feliciter occupatum diutius morari nolo. Valere te e re publica est, qui ut imperator maximus valeat, præstas.

EPI-

EPISTOLA VIII.

EDMUNDO CHISHULL

SC. MAFF.

S. P. D. { *Prid. Kal Dec.* *an.* MDCCXXXII. *Massilia.*

Inscriptiones asiaticas tuas, quarum desiderio flagrabam in hoc tandem emporio reperire mihi contigit. Perquam paucos maiori aviditate, maiorique simul oblectatione libros vorare memini. O eximias profecto vetustissimi ævi reliquias, o monumenta præclara! accedit exquisita illustratio tua, & quidquid ad prænobiles commendandas lucubrationes magis expeti, ac requiri solet. Sigeæ Inscriptionis priorem, quam ad me una cum spectatissimo Sherardio (quæ utriusque humanitas fuit) aliquot ab hinc annis editionem misisti, intelligo jam tam magnificæ gazæ non nisi prodromum quemdam haberi debuisse. Fuit haud ita pridem venetiis, qui marmor illud serra diductum, & in duas attenuatum tabulas se ad me perlaturum, suam mihi obstrinxerit fidem; vir est acri ingenio, qui lapidem pluries vidit, & in eas regiones quotannis fere se confert; quamvis tamen non ita difficile factu esse constanter asseveret, in tantam spem nondum veni.

Pro-

Prolixum spartanæ Epictetæ testamentum quod laudas, veterum lapidum collectioni quam academiæ veronensi dono dedi *Pag.* 53., multis abhinc annis accessit. Italicæ eiusdem versioni, italicorum interpretum catalogo olim subjunctæ, adnotationes quasdam adjeceram, in quibus de vocibus ἐπιμήνια, ἐπιμήνιοι &c. in eadem tecum sententia fuisse, mihi modo gratulatus sum, *Pag.* 137. Pariorum quoque Decretum ad Allariotas missum, quod opportune attulisti, in eodem museo dedicavi, nec non & Hierapytniorum illud, quod memoras, & in quo pro ENIEPAΠΥΤΝΗ lectum ENIEPAΠΥΤΝΗ explicatumque fuisse *in sacra pugna*, *Pag.* 126, ego pariter animadverteram de Amphitheatris agens. Seleuci *L.* 1. *c.* 7., & Antiochi cum catalogum donariorum legerem, quo vasis cuiuscumque non nomen tantum, sed & τὸν σταθμὸν ἑκάστου declarant, alia in mentem venit epigraphe a me pariter acquisita, & exiguæ basi insculpta, sin qua pondus argenteæ Jovis statuæ olim superpositæ curiose admodum explicatur, ad sacerdotum, custodumque fraudes cavendas, eludendasque eam præstitam diligentiam opinor. Illius tituli exemplum exscriberem heic quam libenter tibi, ut Corcyrei alterius, quo expensæ ob templi instaurationem factæ numeralibus notis in nullo alio monumento visis recensentur, si meam mecum supellectilem circumducerem. Isidis etiam, quæ in Hispania haud ita pridem detecta est, puto Inscriptionem nosti, in

qua

qua non argenti tantum pondus, sed & gemmæ singulæ, quibus distinctum simulacrum erat, scrupulose enumerantur.

Illarum loco duas accipe Veronæ nuper in lucem Inscriptiones prolatas; qui enim hanc epistolam, massiliensem portum, quam primum licebit, deserens, in Angliam deferet, quidvis se delaturum humaniter spondet. Pluribus de causis Gelensium psephisma spero fore ut lubenti animo excipias; ejus etiam haud vulgaris vetustas ex officiorum atque ex mensium nominibus videtur argui; itemque quod in tot enunciatis hominibus romanorum nominum vestigium appareat nullum. Longe tamen pluris facies berenicensem lapidem, quem nuper Aquis sextiis perlustrare, ut sperabam non licuit, quod ad nobilem sed valde dissitam villam amandatus fuerit: nondum siquidem mos ille exolevit a Plinio memoratus, qui querebatur, cimelia eiusmodi *in villarum exilia pelli*, *L.* 31. *c.* 4 Perinde tamen fuit, ac si vidissem; nam illustris possessor Lebretius, rei civili ac militari in provincia prefectus, τῦ Α' μφιθεάτρυ in marmore perspicue legi, me certiorem fecit; itemque, quamvis in extremo versu deductæ appareant syllabæ, ac separatæ, abrasionem tamen haberi nullam (quod cæteroquin suspicari in proclivi erat) & nihil deesse. Conjunctim ergo legendæ, & dictiones binæ editioni meæ usitata scriptura repræsentatæ adjiciendæ sunt: Λευκαὶ Πᾶσαι *albæ omnes*; Ψῆφοι scilicet, nam sententias ac decre-

creta probare, aut rejicere. *V. Epist.* 1. *Ov. Met. lib.* 15.

Mos erat antiquus niveis atrisque lapillis.

Ad honorem M. Titii pertinebat, si constaret, omnibus calculis de suis laudibus decretum fuisse. Non erant ergo Berenicenses ex eorum Græculorum numero, quos ridet Cicero, publica decreta sine suffragiorum exploratione manibus sublatis sancientes.

Ne vero hac Inscriptionem cum percurres, in hæsitationem quamdam te forte adducant res duæ in græcis titulis nunquam hactenus conspectæ, nempe amphitheatri mentio, & formula λευκαὶ πᾶσαι scias, apud eumdem præsidem lapidem alium ab eodem profectum loco me contrectasse, in quo utraque pariter conspicitur. Persimile decretum erat benemerentis honori datum; sed evanuere maximam partem detrito marmore literæ, ita ut ex iis separatim ut plurium interlucentibus aliqua vix tandem verba expiscari valuerim. In versu primo ΧΟΝΤΩ videas: ἐπὶ Ἀρχόντων erat, & nomina exinde habebantur, quorum vestigia quædam in subsequentibus quatuor olfeci. Hinc sparsim, & intercise: ΠΟΙΩΝ ΑΓΑΘΩΝ. ΚΑΤΙΔΙΑΝ. ΤΟΥ ΑΜΦΙΘΕΑΤΡΟΥ. ΟΙΚΟΥΣ. ΟΝΟΜΑΣΤΙ. ΑΝΑΓΡΑΦΑΝΤΕΣ. ad calcem: ΤΟΠΟΝ ΤΟΥ ΑΜΦΙΘΕΑΤΡΟΥ. ΛΕΥΚΑΙ ΠΑΣΑΙ, ut & ante memorata desinit. Subter aliquanto maioribus literis.

ΔΕΚΙΜΟΣ ΟΥΑΛΕΡΙΟΣ ΓΑΙΟΥΥΙΟΣ
ΔΙΟ ΝΥΣΙΟΣ
ΤΟΥΣ ΟΙΚΟΥΣ ΕΚΟΝΙΑΣΕΝ ΚΑΙ-
ΤΟΑΜΦΙ
ΘΕΑΤΡΟΝ ΚΑΤΕΣΚΕΥΑΣ ΕΝ ΤΟΙΣ
ΙΔΙΟΙΣ ΔΑΠΑΝΗΜΑΣΙΝ.....
ΤΩΙΠΟΛΙΤΕΥΜΑΤΙ

ex quibus intelligimus, in huius Dionysii gratiam psephisma captum fuisse, & in cospicua amphitheatri pariter collocatum, quod publicis ædificiis tectorium induxisset, & amphitheatrum impensa sua Berenicensium reipublicæ dedisset.

Eruditos quosdam viros deprehendi nuper in hac provincia, qui de his lapidibus multo aliter ac ego feci, judicent; primo siquidem non ad cyrenaicam Berenicem eos pertinere, sed ad illam, quæ Arabico sinui imminebat, decretorie pronunciant: quod vero ante annos aliquot in loco reperti sint, ubi Cyrenaica stetit, id factum esse dicuntur curiosi alicuius hominis opera, qui illuc transtulerit. Mirificam fateor mihi visam esse sententiam hanc: nempe ut repertus sit, qui per totam quanta est Ægypti vastitatem, & per deserta Lybiæ ad immensum iter & perdifficile inscripta marmora adigeret; vel rubro imposita, perrerrato nunquam literatis lapidibus mari, per arenosum deinde multisque periculis infamem tractum in Mediterraneum deduceret, ut post

tot

tot casus in cyrenaica demum regione deponeret. Barbaris non puto tam fervidam antiquitatis atque eruditionis libidinem tribuent; at Europæi Græciæ quidem, & insularum, itemque Africæ, atque Asiæ haud valde dissitas a Mediterraneo regiones perlustrare solent, ut inde vetustas reliquias ad oras nostras perferant: verum quis unquam audiit, ab ultimis Ægypti superioris terminis, & ab Ethiopiæ finibus marmorea ad nos monumenta devecta? Constat præterea ex Inscriptionibus ambabus amphitheatrum in ea civitate fuisse; quod de cyrenaica Berenice mirum non est, quum littoralem Africam & hominibus repletam, & moribus romanis olim imbutam sciamus; at quis sibi persuadeat, ultra Syenem amphitheatra esse visa, & amphitheatrales ludos? Tenor etiam decreti, ex quo Provinciæ præsidem, aut quicumque fuerit publicis rebus præpositum, in eodem oppido haud exiguo temporis spatio substitisse apparet, mediocrem potius provinciam, ut cyrenaica fuit, videtur indicare, quam Ægypti maximam, cuius augustalis præfectus anni unius curriculo vix cursim oppida singula lustrare potuisset, nedum in remotissimis diutius commorari. Animadverti item debet, plurimos ibi Judæos degisse; cum enim in publicarum expensarum partem a Berenicensium Communi advocarentur, haud contemnendam populi partem, imo ut e psephismate argui potest, forte præcipuam, ab iis constitutam intelligimus: cur autem in cy-

renaicis urbibus, & quando id evenerit, Apionem refellens docet Josephus; scilicet Ptolemæus Lagi τῆς Κυρήνης ἐγκρατῶς ἄρχειν βυλόμενος, ἐν τ ἄλλων τ τῇ Λιβύῃ πόλεων, εἰς αὐτὰς μέρος Ιȣδαίων ἔπεμψε κατοικῆσαι. *Cum firmum in Cyrene imperium retinere vellet, & in aliis Lybiæ civitatibus, partem Judæorum in illas misit, ut ibi habitarent.* Quanto autem numero eam regionem subsecutis etiam temporibus insederint, ex Dione discimus, qui sub Traiano Judæos, οἱ κατὰ Κυρήνην, Andrea quodam sibi duce constituto, bellum excitasse tradit, & usque ad CCXX hominum millia crudeliter interfecisse. Accedit ad hæc omnia, levi profecto argumento impelli, qui ad cyrenaicam Berenicem spectare non posse hanc Inscriptionem autumant; nempe quod Ægyptium præ se ferat mensis nomen, hoc enim esset fortasse aliquid, ubi de remota magnopere ab Ægypto regione ageretur, nihil vero est, ubi de contermina. Ægyptus & Cyrenaica se contingebant mutuo, & a convexa valle quam Catabathmon appellabant, ut Strabo monet, distinguebantur. *Lib.* 17. Ulterior adhuc ratio est: ea regio Ægypti regibus diutissime paruit, ac propterea Ægypti quodammodo appendix habebatur: quid ergo mirum, si instituta quædam ægyptia adoptarit, & quædam nomina retinuerit? imo quis certo sciat, eas civitates ægyptie loquutas non fuisse? Id affirmare omnino in proclivi esset, nisi difficultas suboriretur ex Actis Apostolorum, ubi

Ægy-

Ægyptus, *& partes Lybiæ*, *quæ est circa Cyrenem*, tamquam regiones diversa lingua utentes videntur memorari. Nec deerunt fortasse qui suspicentur, oppido illi adscribendum nummum, de quo Mela: *ab intimo angulo* (arabici sinus) *prima Beronica*: ea siquidem regio Idumeæ proxima, & *olim in Judæorum potestate fuit*, quod Josephus docet *Ant. l. 8. c. 6*: ἡ χώρα τὸ πρὶν Ἰουδαίων ἦν. At obscura civitas, & a Græcis vix memorata, in Arabia petræa fuit; nativo nomine *Asiongaber*, quam, ut apud d. Hieronymum legitur *Hier. de Locis*, *Esiam* aut *Essiam* iis temporibus opinabantur esse.

Affirmant rursus iisdem eruditi, psephisma istud a judaica tantummodo illius urbis synagoga emanasse, nullamque in eo partem habuisse berenicenses cives; quod abunde cognosci censente Judæorum, & ex eorum Scenopegiæ mentione; despiciebantur siquidem dicunt, a Gentibus, & odio habebantur Hebræi, qua propter in hoc nequaquam consortium venissent. Verumtamen recte de iis oppidis hæc dicerentur quidem, in quibus exigua fuisset Judæorum manus; minime vero in quibus a Ptolemæi regis jussione maxima & forte ditior ex illis constaret popularium pars *Act.* 11. 10. Percelebrem & apud Gentiles Hebræorum Scenopegiam fuisse, e Plutarcho discimus, qui multa in Symposiacis de hac eorum solemnitate verba facit. Rem autem ut mihi primo visum est, plane se habere, his præsertim ar-

gumentis admodum verisimile mihi redditur. I. Honorari dicitur præses, quod cum *in provinciam* εἰς τ ἐπαρχίαν, ut publicarum rerum curam gereret, advenisset, virum optimum non in iis tantum se præstitisset, quæ rempublicam spectarent, sed in iis etiam quæ privatos cives, & erga Judæos quoque, qui ad eorum regimen pertinebant; patere ex eo videtur, ab ipsa republica, seu Berenicensium Communi decretum latum, Judæis, ut in sumptus partem venirent, in societatem adscitis. Ni dicendum sit, rempublicam ipsam cum ex Gentilibus, tum ex Judæis coaluisse, magistratumque ex utrisque desumtos. II. Ex archontibus novem (totidem Athenis quoque illa ætate constituebantur, ut ex Inscriptione præsertim constat, quam nudius tertius vidi) *V. Palæog. p.* 148. Decreto præsidentibus, unicus est, qui hebraicum nomen præferat, & is ipse Stratonis filius: mirum videri hoc possit, si ex Hebræorum gente singuli fuissent. III. Celebrare laudibus, corona ornare, psephisma in columnas incidere, Græcorum mores redolent, non Hebræorum & Gentilium civitatum instituta, non synagogarum sapiunt. IV. Divinis legibus, judaicæque disciplinæ adversabatur quam maxime, ut ἑορτῆς tempore σφόδρα παρὰ τοῖς Εβραίοις ἁγιοτάτης ἡ μεγίστης *Jol. l.* 8. *c.* 4 de prophanis ageretur rebus: qui ergo fieri potuit, ut in ipsis tabernaculis ea lex ab eorum concilio promulgaretur? perperam propterea videtur rejici eorum verborum ἐπὶ συλλό-

γω

γκ τῆς σκιωποηγίας interpretatio quam exhibui, *tabernaculorum conventus tempore*, ut hæc substituatur, *in conventu festi tabernaculorum*, cum in eo conventu sceleris loco haberetur, quicquam eiusmodi pertractare: imo cum nullus iis diebus ab illis conventus cogeretur; seorsim siquidem in tentoriis degebant, ac feriabantur, & postrema tantum die conveniebant, ut Domino gratias agerent, hebdomada autem integra variis sacrificiis assumebatur D. Hieronymus contra Pelagianos Dialogo I. *In diebus scenopegiæ, quando figebantur tabernacula, a die XV mensis septimi usque ad XXII inter alias victimas semper pro peccato hircus offerebatur*. V. Qui decretum sciscunt, in maxime conspicua amphitheatri parte collocari jubent: ipsa ergo civitas sancit; neque enim in ædificia publica nisi concilio universo, aut magistratibus supremis quidpiam auctoritatis erat. VI. Amphitheatrum Paganorum locus habebatur religiosus, ibi enim aræ, idola, & dicati semper fictitiis numinibus ludi; quis sibi persuadeat, psephismata sua in eo collocari, ac custodiri synagogam judaicam ex solis Judæis constantem decrevisse? VII. Videmus in Inscriptione altera persimili, cuius fragmenta paulo ante retuli, Dionysium quemdam iisdem formulis & ab archontibus pariter honorari, quod amphitheatrum Berenicensium reipublicæ aut dedisset, aut instaurasset: qui adversam sententiam tueri volunt, pro amphitheatro berenicensi populo extructo, atque ho-

minum carnificinæ destinato, hebraicam synagogam gratias egisse, atque extulisse propterea Dionysium laudibus, admittant necesse est. His omnibus perpensis, a Judæorum synedrio, in æthiopica pene civitate latum fuisse decretum hocce, credat qui volet; per me licebit.

Modo vero dubitationem aliam attingam, quæ ob notationem temporis videtur oriri, & ex qua chronologorum filii discussiones instituendi plures, doctasque lucrubandi dissertationes, nancisci occasionem possunt. *Anno LV. Phaophi mensis XXV. Tabernaculorum conventus tempore*. Nodus in eo vertitur, ut Hebræorum scenopegia cum XXV Phaophi mensis die conciliemus. Feriæ tabernaculorum a quintodecimo die mensis septimi (Tisri apud illos nomine e Chaldæis translato) erant indictæ *Levit.* XXIII. 34. Tisri quintodecimo, si communi placito stamus, respondebat Phaophi ægyptii X, & Octobris VII adi sis comparationem mensium apud Synecllum *pag.* 37. Phaophi ergo die XXV scenopegia ab integra, ut videtur, hebdomada omnino desierant. Verum animadverti ante alia velim, hanc difficultatem omnem ex eo pendere, quod pro indubitato habeamus, annum quinquagesimum quintum in lapide enuntiatum ab augustana æra desumi, & propterea DCCLXXVIIII ab V. C. dessignare. Idem primo intuitu mihi quoque visum, cum ulteriores perquisitiones eo tempore aggredi non vacaret: at quis nobis hoc ratum facit? nonne scimus, Ptolemaidem,

An-

Antiochiam, Laodiceam, Gazam, Samosatam, urbesque alias a libertate impetrata sibi epocham constituisse? cur præstare idem non potuit & Berenice? *Ptolemæus Cyrenarum rex, cui cognomentum Apionis fuit, mortuus heredem populum romanum reliquit, & eius regni civitates Senatus liberas esse jussit*, quod ex liviana Epitome discimus; *in eo regno inclytæ civitates erant Berenice, Ptolomei & Cyrene*, quod Eutropius memorat. Contigit hoc Cn. Domitio Ænobarbo, & C. Cassio Longino coss. ex Julio Obsequente, & Cassiodorii Chronico, anno urbis Varroniano DCLIX cui si LV addamus, annum habebimus DCDXIV. Perpendi etiam posset, utrum Judæorum in æquinoctiorum, & solstitiorum observatione hallucinationibus, quam videmur deprehendere, anomalia possit imputari. Scimus æquinoctii retrogradationem Christianis ipsis diutissime obrepsisse, & Judæos *accuratam hoc in negotio rationem inire nequaquam studuisse*, s. Epiphanius tradit *Hær. 70*; quin *depravata apud ipsos, ac perturbata fuisse omnia*: διέπεσε γὰρ αὐτοῖς, ἢ ἠπάτηται τὰ πάντα. Veruntamen his & aliis multis in præsens prætermissis, atque admittentes ægyptiam epocham ab Alexandria capta in marmore consignatam esse, potuisse aio in Phaophi XXV tabernaculorum solemnitate incidere; sed ut eo res deducatur, communis illa opinio deserenda est, post actiacam victoriam anni sui methodum repudiasse Ægyptios, & julianam amplexos esse.

se. Statuit Norisius *Ep. Syr. Diss.* 3, postquam Ægyptii *initium Thot, a quo annum exordiebantur, in die* XXIX *augusti Romanorum fixerunt, anni vagi usum apud solos astronomos remansisse, sedem deinceps fuisse dies anni sacri & civilis:* in eam sententiam chronologorum chorus conspirat: liceat nihilominus in dubium non una tantum ex causa hoc placitum revocare.

Primum enim peto, quo fundamento, qua nitamur autoritate, cum dicimus, veterem ac propriam deducendi temporis rationem antiquasse Ægyptios, alienamque sibi adscivisse: sane tam nova res sine luculentis ac disertis veterum testimoniis adstruenda non erat. A Senatu romano anni juliani receptionem Ægyptiis imperatam fuisse, ut recentiores asserunt, merum somnium est. Duos apud veteres scriptores locos reperio, ex quibus hæc manare opinio potuerit: Dionis in primis dicentis Ægyptios diem, quo Alexandriam expugnavit Augustus, pro festo haberi decrevisse, & eorum annos in postremum ab ea victoria numerari: ἡ εἰς τὰ ἔπειτα ἔτη ἀρχὴ τῆς ἀπαριθμήσεως αὐτῶν νομίζεσθαι *Lib.* 15. Alter Censorini, tradentis ægyptios augusteos annos diversimode ab aliis computasse. At annorum numerationem, & seriem ab uno potius quam ab altero facto deducere, non est anni formam immutare, nec tricenarios menses rejicere, nec novam diei intercalationem admittere. Ubi Censorinus æræ augustanæ ab Ægyptiis adhibitæ

bitæ meminit, statim subdit: *Nam ut, a nostris ita ab Ægyptiis quidam anni in literas relati sunt, ut quos Narbonassari nominant·item Philippi, qui ab excussu Alexandri numerantur*. Verum sicuti neque ob Nabonassari, neque ob Aridæi epochas propriam anni constructionem deseruere, ita nec ob augustanam. Quod vere a sua methodo nunquam discesserint, his omnino rationibus evinci videtur mihi.

I. Eadem mensium Ægyptiorum nomina post Augustum perstitere, quibus antea utebantur, non apud astronomos, aut sacerdotes tantum, sed omnes: neque illis romanorum mensium respondebant dies, nam admonet nos Plinius, *L. 6. c. 23*, Mechiris Ægyptii diem sextum incidisse in januarias Romanorum idus: anni ergo romani forma Plinii ævo in Ægypto non servabatur.

II. Nunquam Ægyptii a januario annum auspicati sunt. Prophyrius homericum Nympharum antrum illustrans: Αἰγυπτίοις δὲ ἀρχὴ ἔτους ὑ χ ὑδροχόος ὡς Ρωμαίοις, ἀλλὰ ναρμίος. Censorinus Ægyptiorum annorum *initia semper a primo die mensis eius* desumi docuit, *cui apud Ægyptios nomen est Thot*. Tertio ergo a Christo seculo, quo auctores floruere utrique, tantum distabat Ægyptiorum ordo a romana, quantum in zodiaco ab Aquario Cancer, & quantum in anno januarius ab augusto mense, & a septembri.

III. Docet itidem Censorinus, anno quo

scri-

scribebat, Ægyptiorum exordium fuisse *ante diem VII kal. julias, cum abhinc annos centum imp. Antonino Pio II, & Bruttio Præsente coss. iidem dies fuerint* (f. idem dies fuerit) *ante diem XII kal. augustas*. De anno civili ac communi videtur omnino auctor loqui. Constat igitur, Ægyptios annum julianum minime adoptasse, sed mobilem, ac retrogradum (vagum non dicerem) perpetuo retinuisse; nam si anno juliano usi essent, initium eius immobile habuissent ac fixum, ut apud Romanos erat.

IV. Multa cum apud auctores, tum in monumentis testimonia deprehenduntur Epagomenarum post augustum quoque adhibitarum ab Ægyptiis. Tricenariis ergo post augustum quoque usi sunt mensibus, quibus quinque adjiciebant dies. Specialem Epagomenarum mentionem videas apud Georgium Syncellum, ubi hebraicos, ægyptios & romanos inter se comparat menses, docetque adjectitios dies post augusti XXIV ab Ægyptiis interferi: antiqua ergo anni forma usi perpetuo sunt.

Jam vero ut ad Inscriptionem redeamus, ægyptia methodo posita, in XXV Phoaphi diem anno augustano LV Scenopehia plane incidebant. Ægyptii enim sex circiter horarum, quibus solaris annus 365 dies excedit, rationem non habentes, neque intercalationem statuentes ullam, annum suum diei quadrante retrogradum quotannis volebant; quod cur fieret, & quomodo vetus, & præclarus auctor

Ge-

Geminus in Isagoge perspicue tradidit δώδεκα γὰρ μῆνας ἄγυσι τριακονθημέρους, ἡ πέντε ἡμέρας ἐπάγυσι. τὸ δὲ δ' ὅλη ἐπάγυσι, ἵνα αὐτοῖς ἀναποδίζονται αἱ ἑορταί. Ratio ergo cur quinque adjicerent quidem dies, sed quadrantem nequaquam, hæc erat, *ut eorum solemnia retrocederent*. Docuerat Geminus & paulo ante, deorum sacra eadem semper die recurrere, Ægyptiis non placere, sed omnes annis tempestates eo modo paulatim & sensim peragrare. Romanorum ergo methodo & anno fixo obstabat apud Ægyptios religio, quæ non astronomos solum, sed populum afficiebat omnem. Ex istiusmodi autem regula XXV circiter dies seculo quovis annus retrogradiebatur: quod optime ex Censorino confirmatur, cuius locum nuper adduxi; tradit enim anno V. C. 991 ægyptium annum incœpisse julii die XXV, cum anno 891 incœpisset junii die XX, quæ viginti sex dierum anticipatio est. Diei autem unius differentia pluribus causis imputari potest; sed potest etiam inemendato Censorini textui in numeralibus notis, ita ut non XII, sed *XIII kal. aug.* legi debeat, & julii dies designetur vigesima, ac quovis seculo diebus viginti quinque retrogradum habeamus Ægyptiorum annum. Conficitur ex his, anno V. C. 791 anni ægyptii, & mensis Thot primam incidisse in augusti XIIII, anno vero 779 in Inscriptione enunciato incidisse in augusti XI. Consequenter proximi Phaophi primam in septembris XV, si quinque epagomenarum dies post

Me-

Mesoris tricesimam, & post augusti vicesimam quartam interserebantur, ut putatur. Hoc modo Phaophi XXV in octobris X incidebat, quæ scenopegiis procul dubio erat addicta, cum a septima inciperent. Quod si epagomenarum alia forte erat ratio, & illas *diversis superaddebant mensibus*, ut card. Norisius dixit de Gazensium annis agens, quinque illis diebus non computatis, Phaophi XXV in octobris XV incidit, quæ tabernaculorum erat ultima, & quam præsertim designare videtur Inscriptionis loquutio ἐπὶ συλλόγῳ τῆς σκηνοπηγίας. *Ep. Sy. Diss. V.* Post septem enim dierum ferias sub tabernaculis habitas, conveniebant octava Judæi gratias Domino acturi: hæc autem ἡ μεγάλη τῆς ἑορτῆς a d. Joanne appellatur *Ev. VII.* 37, & in Aquilæ versione dicitur σύλλογος: *Collectam* reddidit vulgatus interpres. In Levit. V. 34 legitur: *Dies quoque octavus erit celeberrimus, atque sanctissimus, & offeretis holocaustum Domino, est enim cœtus, atque collectæ.* Octavæ diei σύλλογος seu collecta memoratur etiam ab Esdra, & in Paralipomenis. Sed de his hactenus; quæ tibi ob oculos proposui, ut quid de singulis judices, admonere quam primum velis.

Angliam visendi, ingeniis scilicet, studiis, atque artibus tam mirifice florentem, summa me cupiditas a longo jam tempore stimulat, ac sollicitat; quæ increbuit sane, atque incaluit, postquam a te vulgatas Inscriptiones perlegi. Lutetiæ menses aliquot subsistere me-

di-

ditor, deinde Londinum, Deo bene vertente, properare. Anglis multum equidem debere profiteor, cum ob humanitatem singularem, qua me qui per Italiam iter habent, convenire solent (convenere autem quam plurimi) tam ob favorem & gratiam, quam opellis meis, tragœdiæ præsertim, in Anglia ipsa invenire contigit. Da operam, ut te prospera omnino valetudine utentem, cum accessero, videre liceat, alterumque, cuius maxime desiderio teneor, græcarum Inscriptionum volumen publice jam propositum intueri.

EPI-

EPISTOLA IX.

ANTONIO URSATO Abb.

SC. MAFF.

S. P. D. { *IX. Kal. Januar. an.* MDCCXXXII. *Avenione*,

Cum nullum in te officium sine culpa videar mihi præterire posse, perficiendum mihi esse existimo, ut itineris mei tibi ratio constet. In hanc urbem sum redux; postquam Linguadocii, ac Provinciæ urbes præcipuas, compluraque loca circumiens perlustravi. Viennam modo & Lugdunum iterum; in alias deinde regiones me conferam, ut per Burgundiam Lutetiam Parisiorum demum contendam. Verum cum his diebus ad nullum ferme amicorum literas dem, quin veterem Inscriptionem aliquam, velut strenam quamdam adjungam, idne prætermittetur a me virum illum interpellante, qui rei lapidariæ scientiam per traducem, ut ita dicam, acceperit, atque Inscriptiones vulgarit eximias, docteque illustrarit? Minime profecto. En tibi ex iis aliquas, quæ in hoc excursu hac illac sunt a me repertæ, & quarum novitas, cum antea, ut puto, non videris, te aliquantisper detineat, atque oblectet.

Gra-

Gratianop. in via S. Jac.

T CASSIO
MANSVET
FLAMINIVIRB
SCRIB. AEDIT
II. V.IVR.DIC
CASSIA ALTIA
PATRUELI

In vico *Terasse* prope Gratian.

MERCVRIO
AVG.
L. DIVIVS RVFVS
EX VOTO
S. L. M.

Aostæ in Delph. ad turris angulum.

PRO SALVTE IMP
CAES. M. AVR. ANTO
NINI. AVG. TECTVM
PORTICVS CVM SVIS COLVMNIS ET
PAENVL DVAB ET OPER TECT
SEX VIREIVS SEXTVS DECVR
DSPD POLLIONE II ET APRO II COS

Arausione ap. Prevotium.

NVM AVG.
MATRI DEVM
PRO SALVT IMP
MAVR COMMO
DI ANTONIN PII
FELICIS.
TAVROPOLIVM
FECERVNT
SEX PVBLICIVS
..... ANVS

. . . . . .

Arelate ad Eccles. Minimm.

IVLIAE LVC FILIAE TYRANNIAE
VIXIT ANNOS XX M VIII
QVAE MORIBVS PARITER ET
DISCIPLINA CETERIS FEMINIS
EXEMPLO FVIT AVTARCIVS
NVRVI LAVRENTIVS VCXORI

Aqu. Sextis ap. Præs. Mazaugues.

AELIA L F
CELSA HIC
SEPVLTA EST

In

In pago Brignon.

AVE DORIS
VALE DORIS
DORIS SE
XTILIA SE
VERA LIBER...
.....

Antipoli.
DM
VENVS VIC
TORIN BENE
MERENTI
L VIBIVS SACILLINVS
ET L VERVCINVS
CLARHERNVS
HEREDES

Lugduni prope S. Iren.

CLAVDIAE
PHIL ETI AVG L LIBER
TAE HEVRESI VRBA
NVS ET SVRVS FRATRES
SORORI PIISSIMAE

Nemausi prope Coemet Hospit.

DM
T CARENTII
DAPHNI
I$\overline{\text{IIII}}$I VIR AVG
CARENTIA LAIS
ET CARENTIVS
FORTVNATVS
PATRONO
OPTVMO

Durforti a Nem. leu. 1.

CN. OCTAVIO CN. F. CA
IAVCO EX TESTAMENTO
C. OCTAVI. CN. F. VOLT. CERTI

Tres priores Romanus de Rives obtulit, quem antiquitatis amatorem ut convenirem, ad insulam *Barbe*, quam vocant accessi, Lugduno haud procul. Rursus exinde eruditus Vernet. Apparet e Virbiali flamine, qamvis Hippolytum nemori Diana relegaverit, ut

in silvis italis ignobilis ævum
Exigeret, versoque ubi nomine Virbius esset,

eius tamen cultum Gallias etiam aliquando per-

pervasisse. In tertia, quam alicubi editam suspicor, quid pro *penulis*, nisi tholos intelligamus in medio tecto, ut habet Isidorus, ubi trabes coeunt? penulam, qua pluvio tempore tegebantur homines, tholus quodammodo repræsentabat, & ad *omne quidquid tegit abusive* translatam aliquando vocem, Nonius docet. Per compendia quæ subsequuntur indicatur tectorium opus. Prætermissam dictionem quadratarius minoribus literis addidit. Vicus, ubi ante annos XII erutum marmor dicitur, *Aosta* nuncupatur. Non paucæ ibidem antiquæ Inscriptiones effossæ sunt. Cum duo eodem nomine in Delphinatu vici habeantur, miror, veteres lapides in illo reperiri, qui Sabaudiam respicit, haud mirarer scilicet, si in illo reperirentur, ubi Augustam Tricastinorum a Plinio indigitatam olim stetisse opinor. Eam quidem recentiorum geographorum aliis Niomagum, aliis s. Paulum Tricastinum esse placuit: at viri docti videntur non animadvertisse, Augustam illa inter deam Vocontiorum, & Valentiam ab Itinerariis collocari: non ergo ab illis civitatibus tam remota fuit, & ab earum itinere tam sejuncta ac diversa, ut *Nions* & *S. Paul*, qui a tribus castris non a tricastinis nomen accepit. Reinensius *Aostæ*, seu *dea Augustæ* dixit; verumtamen dea Vocontiorum Augustæ nomine nunquam fuit donata. At etiam ubi alterum Aostæ viculum nunc habemus, civitatem aliquando fuisse, memoratæ Inscripriones videntur suadere; tum

quod plures sint, tum quod in lapide, quem præ manibus habemus, decurionem videamus. Obstare tamen videntur Inscriptiones aliæ eiusdem loci, in quibus VIGANI AVGVSTANI consignantur: quomodo enodabimus? loci nomen, ut puto, *Vicus Augusti* fuit, quod nominis in Africa occurrit pluries: propterea in libro Itinerario *Augustus* dicitur. Civitatis exinde statum obtinuit, ut Pataviçensium vicus, qui etiam jus coloniæ impetravit; sed nomen haud immutatum est: quapropter Vicani Augustani semper fuere.

De subsequentibus te nihil moror. Matrem deum, cui pro Commodi salute Tauropolium fit, vel *numen Augustum*, vel *Augustorum* dicitur, quo præcõnio, quamvis unico G pariter indicato, & alios deos in his regionibus donatos invenio. Carentiam & Venusiam gentes, Divium quoque quod meminerim, audieram nunquam. Arelatensis tyranniæ sarcophagi, in quo musica instrumenta sunt eleganter insculpta, imaginem tibi exhibere in animo habebam, sed hæc spes me frustata est. Cum in titulo disciplina, & mores videatur distingui, credibile est, cum propter musicam disciplinam, tum ob probatos mores tyranniam laudari, quæ profecto haud vulgaris coniunctio & commendatio est.

Ex præclarissima familia, quam regis, singulos quos mihi amicissimos (nosti scis enim e Benedictinorum cœtu plures mihi semper observantia devincere studuisse) salvere jubeas ve-

velim; p. Sandium præcipue eruditum bibliothecarium, cui plurimum debeo. Inter externos Gratianum livianæ orationis æmulum, si occasio indicat; Facciolatum & Vulpium purioris latini eloquii assertores in Italia præcipuos; abbatem Contium in primis, si Patavii degit. Vale

---

EPISTOLA X.

FIRMINO ABAVZIT

SC. MAFF.

S. P. D. { *III. Kal. Januar. an.* MDCCXXXII. *Lugduno.*

Lugdunum iterum satis auspicato me appuli, postquam Narbonensem duos fere menses pererravi. Nemausi, quam tibi patriam esse audio, bis substiti. Antequam Augustodunum contendo, amicitiæ nostræ memorem hac epistola me tibi probo. Judicium meum de te prædicavi pluribus in locis: haud multos reperisse me in hoc itinere politiori ingenio, ampliorique doctrina viros, qui autem modestia magis excelleret, fortasse neminem. Memini, cum de veteribus Inscriptionibus Genevæ nobis sermo esset, quanti emendationem interdum vel unam faceres, & quantum aliquan-

do latinæ linguæ, historiæ, puriorique rerum notitiæ interesset, optime te disserere. Quam plures mihi in hoc itinere editos titulos emendare usuvenit 448. 5. Ubi Gruterus habet PASQVIVS. PASQVI. LIBERIIS 426. 4 deprehendi in marmore PAQVIVS. PAQVI. LIBERIS. Ubi VI. C. I. P. C. N. M. in lapide DEC. N. M. ET. Ubi OPTATINERE. ET. ICIAE. 813. 9. lapis OPTATINE RETICIAE. Quis hunc titulum arca marmorea insculptum pro christiano haberet? in dubium tamen haud revocabit, qui Danielem inter leones, christianasque figuras alias sarcophagum decorantes viderit. Ubi apud Gruterum NEFFINIVS 647. 4, lapis NERPINIVS. Ubi C. IPO. II 875. 10. lapis DE SVO. Ubi CVMBARIS, & VERSIDIAE 627. 11, lapis CVM ARIS. CONSIDIAE. versus priores ibi desiderantur, abolendusque qui in editis præit. Philippi Cæsaris honores cum privato titulo importune alibi consociantur, cum in acephalo cippo nihil aliud fuerit reliquum, nisi CAESIVS FRATER STIPENDIORVM XX. 272. 10. In alio autem mutilo 394. 5: T. COMMINIVS C. F. DVOMVIR AEDILIS. & nihil ultra: quamobrem INTERREX valeat cum præcedenti additamento 344. 11. Ubi Sextus Acutius monumentum dicat ACVTIO PATRI, habetur in lapide ACVTO. Ita ex Acuti cognomine Acutios fluxisse apparet, ut ex Siculo Siculios, ex Sedulo Sedulios, ex Sedato Sedatios, aliique sexcenti, quod

quod innui jam, cum complexios in Acta Apostolorum, & in Epistolas ederem ex codice vetustissimo, in quo CASSIODORII uncialibus literis perpetuo scribitur.

Sequentem epigraphem Catelius vulgavit in historia sua, sed aberrans sæpius. In dimidiato lapide Narbonæ ad abbatiam s. Paulli sic se habent maiores literæ; minores ex conjectura supplevi.

IMP CAES DIVI HADRiani Fil. Divi
TRAIANI PARTHICI NEpos Divi Nervæ
PRONEPOS T AELIVS Hadrianus Antoninus
AVG PIVS PONT MAXImus Trib. Pot. xx
IMP II COS IIII PP THErmas Vetustate
CONSVMPTAS CVM PORticibus
ET BASILICIS ET OMNI Cultu Impensa
SVA Restituit

Verum ut crimine ab uno omnes possis in Inscriptionibus vulgandis typographorum, collectorumque interdum errationes arguere, simulque intelligere, quam necessarium vel ex hoc capite sit, antiquare vetus, ac novum Inscriptionum corpus omnino condere, atque adornare, monstrum hoc inspice, quod a Scaligero, ut quam plura alia, Gruterus habuit:

. . . . . ANTII . NEP . AC . F . FL.
MEMORIO
V . P . QVI . MILITI . INT . IOVIANO
S . ANNOS 493. 3.
XXVIII . P . RO . DOM . ANVI . PRAE .
LANCIA . RIS . ST
. . . . . AMICO . MES . P . L . PAEANICO .
M . MAVRE . ET
INCANT . . . . . VIX . ANN . LXXV .
PRAESIDI
COS . . . DVVMVIR

Ingens est arca e marmore nobili ante patrum Minimorum templum extra arelatenses muros. In anteriori facie duò gryphi vase intermedio; in aversa parte centaurus & leo: latera sphinges ornant. Verba in ora sarcophagi superiore per longum exarata sunt: præclara autem & plurimi facienda Inscriptio ita se habet:

BENE PAVSANTI IN PACE FL MEMO
RIO VP QVI MILIT INT IOVIANOS AN
NOS XXVIII PRO DOM ANN VI PRAE
LANCIAR . . . . . III COMES RIPE AN
I COM MAVRET TING AN IIII VIX AN
LXXV PRAESIDIA CONIVX MARITO
DVLCISSIMO

Flavium Memorium virum perfectissimum christianum probat formula *pausanti in pace*. Militavit primum diutissime inter *Jovianos*, quos a Dio-

a Diocletiano institutos scimus, necnon inter primaria ac præstantiora militiæ corpora numeratos, imperatorem siquidem exeuntem proxime adhærentes tutabantur. Duplices fuisse Notitia imperii ostendit, quæ *seniores* Jovianos pluries recenset, & *juniores*: tum inter legiones palatinas, tum inter cohortes, vel etiam inter Scutariorum scolas videntur computari, quod hæc nomina inferiori ævo nonnunquam promiscue habita sint. Exinde Merius noster annos sex *protector domesticus* fuit, de quibus trita omnia: in Palatio excubabant, & imperatorum latus protegebant. *Lancearii* quoque plurifariam denominati occurrunt, modo inter legiones comitatenses, hoc est quæ principes comitabantur, modo inter numeros. Illos in marmore significari puto, qui ab auctore Notitiæ inter copias magistro equitum Galliarum parentes *Lancearii honoriani gallicani* enunciantur; atque ita supplendam judico marmoris lacunam. Eorum præfecturam Memorius gessit, neque secus debebat in quacumque cohorte describi, qui domesticus protector fuisset. Ad maiorem deinde præfecturam accessit, ex qua *comes ripæ* nuncupatus est, quod officii nomen alibi occurrere non memini. *Præfectus ripæ Danubii* habetur in panviniano lapide: habentur in Notitiæ volumine *legiones riparienses*, iisque *præfectura Ripæ* pluries commissa, sed in longe dissitis regionibus 490. 2. Verum numeratur quoque in eodem libro: *provincia gallia ripensis*, atque in ea *præfectus*

ctus classis fluminis Rhodani: nullus propterea dubito, legioni Memorium præfuisse, quæ Rhodani custodiret ripem. Comes denique Mauritaniæ Tingitanæ fuit, de quo Notitia pluries, & docte Pancirolus, ut solet. Memorium alterum, Juliano imperante, Ciliciæ præsidem nominant Libanius, Ammianus & Julianus ipse.

Hortatus me es, ut fragmenta quoque ne negligerem. Visum est, inter prorsus inutilia Narbonense istud non computare:

In Pal. Arch.

. . . . C F PAP RVFO
. . . . NVLEIANO
. . . . VM. AEDILI PRAEF
. . . . O ET DVOVIRO

Viris humanissimis, qui in urbe ista me tantopere honorarunt, salutem singillatim dicas rogo; gratiasque iterum agas, memoremque maxime testeris, & gratum. Vale.

EPISTOLA XI.

LUDOVICO MURATORIO Præp.

SC. MAFF.

S. P. D. { *III. Non. Janu. an.* MDCCXXXIII. *Lugduno.*

Quoniam ea, quæ aliquando meditor, mihi probatum iri non est quod sperent, nisi prius doctis & amicis viris probentur, de lapidario ænigmate sententiam tuam rogatum venio, petitumque, ut utrum explicationem meam ratam facias, candide, hoc est more tuo, profiteri velis. Clausulam nosti in quampluribus Galliæ sepulchralibus titulis extantem, *Sub ascia dedicavit*; variabant enim pro regionibus instituta, ac formulæ, ut hodie pariter accidit. Hanc sunt qui Lugdunensem appellent; sed in tribus olim provinciis passim adhibitam, multæ, quas sum intuitus, Inscriptiones testantur: rarius in Narbonensi, italicis nempe magis conformata moribus. Frequentius autem Lugduni occurrit, quod in hac urbe literati lapides maiori copia supersint. Ad Fourvieram in æde, quam Serram dicunt, hanc nuper excepi hactenus incompertam.

C . CATI . DRIBVRONS
CORPORIS . VTRICLA
RIORVM . LVGDVNI
COSISTENTIVM
CATIVS . PVPVS . PATRI *sic.*
PIENTISSIMO . ET CATIA
SILVINA CONIVGI
PIENTISSIMO ET .....
NVRVS . SOCRO DVL
CISSIMO . PONENDVM
CVRAVERVNT . ET . SVB
ASCIA . DEDICAVERVNT

Quid postrema verba sibi velint, perquiritur, & post tot concertationes adhuc sub judice lis est. Diversæ sententiæ ad hanc diem plus quam duodecim prodierunt; quin & alias fando audivi, quæ nondum prodierunt, velut illam, *ascia* celticam dictionem esse: ne mireris; fuerunt enim & qui græcam dicerent. Vir cl. p. Montfauconius postquam ante annos aliquot opiniones pensitasset singulas, nihil adhuc in hac quæstione videre nos, & tam exoticam formulam sperandum non esse, ut intelligamus, *donec aliquod monumentum eruatur, quod tam obscuræ rei lucem afferat*, pronuntiavit *Anton. Expl. t. V. p.* 109. Tamdiu expectandum non autumavit nuperus scriptor de Religione Gallorum (vides me doctiorum præcipue rationem habere) sententiamque suam ceteris rejectis protulit; asciam scilicet ligonem,

nem, seu marram significasse, haud communem tamen, & qua uterentur, cum *longis purgare ligonibus arva* oporteret *Ovid.*, sed peculiarem, & ad terram sepulcrorum struendorum causa fodiendam solummodo adhibitam. Utrum hæc sententia, cui p. Menetrierius quoque aliquando appropinquavit, calculos omnes reportatura sit, vereor, cum in quo nitatur non appareat; eoque vereor magis, quo eum doctrina conjungitur, cuius pariter fundamentum, & auctoritas non exhibentur: nempe Gallos, cum sub ascia monumenta dedicarent, maximis, quæ fuse describuntur, cæremoniis fecisse, iisdemque, quibus ab Etruscis urbes condebantur. Additur propterea, mulieres nunquam eiusmodi sepulcra dedicasse, cum tamen viginti circiter ex lugdunensibus tantum Sponius inscriptiones ediderit, in quibus mulieres, vel simul cum viris, aut filiis, vel ex seipsis sub ascia dedicant; & cum in Decimani ipsa, quæ ibidem ex Grutero affertur, eius uxor sub ascia dedicet. Multoties accidit, ut dedicandi verbum hallucinationes pareret, sæpe enim nihil aliud significat quam ponere, collocare, perficere, & rei cuiuspiam usum inchoare. De hoc alicubi verba feci: docte hunc de dedicationibus locum pertractare memini Alexium Mazochium, cuius de capuano amphitheatro commentarium frustra heic perquisivi. Narbonæ in mœniis hanc nondum editam epigraphen vidi.

VOLILIA ↄ L
SEGVNDA
SIBI ET CNEO
DOMITIO
AVCTO VIRO
SVO DICAT

monumentum scilicet. Theatrum suum dedicavit Pompeius, cum in eo primos ludos fecit, quod Asconius innuit. Avii Capelliani lapidem Nemausi inspexi pluries editum, in quo pro iis *sub ascia dedicavit*, habetur SVB ASCIA POSVIT. Funebres autem cæremonias, aut diis exhibitas, intercessisse nullas, vel ex hoc ipso discere est, quod vivi sæpe ea struerent monumenta, & inscriberent, sibique ipsis dedicare interdum profiterentur. Secundilla *sibi viva posuit*, *& sub ascia dedicavit*; Sulpicia (in eo lapide quævis syllaba interpungitur) Agathemeris *coniugi*, *sibique viva sub ascia dedicavit Spon. in Lugd. p. 60.* Mattonio Restituto *filii*, *& hæredes ponendum curaverunt*, *& sibi pag. 96.* (ita in marmore) *vivi sub ascia dedicaverunt pag. 62.*

Jam quid ego sentiam expono, sed quibusdam tibi comprobare testimoniis non potero, quæ domi in adversariis habeo, nec memoria teneo. Opinor, nihil aliud ea formula, & asciæ figura, quæ summo lapide insculpi solet, significari voluisse, nisi ea monumenta de novo fuisse excitata, & nulli antea patuisse.

se. Honorificum hoc plane erat, & minime vulgare; quapropter ἐν τῷ καίνᾳ μνημείᾳ sacratissimum Servatoris nostri corpus Joseph ab Arimathæa deposuit, neque id memorare d. Matthæus prætermisit. S. Lucas monumentum dixit, οὗ οὐκ ἦν οὐδέπω οὐδεὶς κείμενος. Utrumque conjunxit. S. Joannes: *Monumentum novum, in quo nondum quisquam positus erat.* Quidquid hoc honoris esset, & amoris, & liberalitatis ostentare non prætermittebant Lugdunenses, Gallique ceteri; tantum abest, ut eam clausulam modicis tantum, ac minoribus tumulis inditam, eaque *mediocritatis laudem* quæsitam putem, ut Aldus olim, deinde Fabretus censuere *Inscr. p.* 205. Cum ergo minus commode, minusque eleganter consuetis & communibus verbis id exprimi posset in funebribus titulis, hanc formulam amplexi sunt: qua indicabant, ab artificum manu eo ipso tempore id monumentum exisse. Propterea in præclara apud Guichenonium, & subinde apud Reinesium Inscriptione *R. p.* 450, quam & in ms. codice reperi etiamsi aliquanto diversam, hæc habetur clausula: CONSVMMATVM HOC OPVS SVB ASCIA EST. Ultimum siquidem instrumentum quo in ὑπογέοις, sive subterraneis cubiculis ædificandis, ut & in ædificiis aliis, utebantur, ascia erat, qua calx macerabatur ad inducendum tectorium muris, ut adhuc fit. Triplex, non unum tantum, ut a recentioribus, qui hanc quæstionem agitant, asseritur, eodem nomine ὄργανον ap-

pellatum invenio, quod eamdem speciem referent singula: primo quidem teli, sive armamenti genus securi proximum; inde adagium, cuius Apuleius meminit, *asciam cruribus suis illidere*: Psalmorum interpres: *in securi & ascia dejecerunt Met. l. 3.* Tertullianus in Apologetico: *at in deos vestros validius incumbunt asciæ, runcinæ.* Hinc *azza* Italis, Gallis *hache*, quam vocem fuere qui a Germania, nec non qui usque ab Æthiopia Gallos accepisse asseverarent, ut perdoctus Bochartus. Ita deinde ferrum dictum, quo ligna lævigabantur, unde vetitum in XII tabulis polire ascia rogum, ut non sepulchri quidem, quod communiter dici solet, sed exustionis sumptus minuerentur. Hinc est, quod pro *ascia* veteris Psalmorum interpretis s. Hieronymus *dolatoriis* reddidit in Epist. ad Sunn. & Fret. dolare enim proprie complanare est, quod & lignis præstatur, & muris: at Hieronymus eo sensu accepit, quod complanare pro demoliri Tullius dixit domum suam tuens. Instrumentum denique eo nomine vocarunt passim, quo murarii fabri utebantur, ut extremam muris navarent operam. Vitruvius de tectoriis agens, deque albariis operibus: *Sumatur ascia, & quemadmodum materia dolatur, sic calx in lacu macerata ascietur L. 7. c. 2.* Palladius: *Si quod asciæ adhæret, fuerit molle ac viscosum, constat albariis operibus convenire L. 1. c. 14.* Cum vero dealbati parietes novitatem operis arguerent, præcipui ad id adhi-

hibiti instrumenti nomine, ac figura, monumentum illius causa, quem loquebatur lapis, recenter constructum fuisse, significabant. Consuevisse autem veteres sepulcra sic nobilitare, ac polire, testatur Cicero, qui Solonem Atheniensibus expresse vetuisse tradit, illa, ut moris erat, *opere tectorio exornare De Leg. lib.* 2. Memorantur in s. Matth. Ev. sepulcra dealbata, quæ a foris patent nominibus speciosa.

Græcum tetrastychon sepulcrali titulo additum Nemausi exscripsi, in quo monumentum illud νεόδμητον fuisse, declaratur. Vides quod latine *sub ascia dedicatum* dicebant, græce hunc poetam, *noviter ædificatum* dixisse. Edita inscriptio est in Sallengrii præfatione, & nuper in itinere literario; sed cum carmina carminibus nondum sint reddita, ut id præstarem, operam utcumque dedi.

Thes. Ant.

D M
C. VIBI LICINIAN
V. ANN. XVI. M. VI
C . VIBIVS
AGATHOPVS ET
LICINIA NOMAS
FIL OPTIMO PIISSIM

ΑΝΘΕΑ ΠΟΛΛΑ ΓΕΝΟΙΤΟ ΝΕΟΔΜΗ-
ΤΩ ΕΠΙ ΤΥΜΒΩ
ΜΗ ΒΑΤΟΣ ΑΥΧΜΗΡΗ ΜΗ ΚΑΚΟΝ
ΑΙΓΙΠΥΡΟΝ
ΑΛΛΙΑ ΚΑΙ ΣΑΜΨΟΥΧΑ ΚΑΙ ΥΔΑΤΙ-
ΝΗ ΝΑΡΚΙΣΣΟΣ
ΟΥΕΙΒΙΕ ΚΑΙ ΠΕΡΙ ΣΟΥ ΠΑΝΤΑ ΓΕ-
ΝΟΙΤΟ ΡΟΔΑ

Ἄνθεα πολλὰ γένοιτο νεοδμήτῳ ἐπὶ τύμβῳ,
Μὴ βάτος αὐχμηρὴ, μὴ κακὸν αἰγίπυρον,
Ἀλλ' ἴα, ϛ σάμψυχα, ϛ ὑδατίνη νάρκισσος,
Οὐείβιε, ϛ περὶ σὲ πάντα γένοιτο ῥόδα.

Plurimus hunc tumulum flos induat, inque recentem
Haud rubi horrentes, ægipyrusque mala,
Sed properent violæque, & amaracus, & narcissus,
Vibie, & omnis humus te prope jam rosa sit.

Collectionem tuam, qua Rerum Italicarum scriptoribus consuluisti, ubique reperio, & ubique prædicari audio. Supremam eodem spiritu quo primam admovisti, impone labori manum. Vale.

EPI-

EPISTOLA XII.

PHILIPPO BONARROTIO Sen.

SC. MAFF.

S. P. D. { *IV. idus Janv. an.* MDCCXXXIII. *Augustoduno.*

Egone, qui his diebus in literatis lapidibus assidue versor, & amicorum fere nemini quid agam mitto, quin selectis unumquemque epigrammatis donem, Bonarrotium alloquar, Inscriptionem afferens nullam? illum scilicet, cui paucissimos profecto in re antiquaria comparandos, invenerim, & qui veteribus adeo titulis oblectetur, ut Fabretto præclarum opus adornanti magno subsidio aliquando fuerit? Hunc equidem errorem haud errabo. Ex iis igitur, quas in hoc itinere descripsi, epigraphes tibi geographicas, ut ita dicam, seligo, hoc in quibus oppidi, aut provinciæ contineatur mentio.

Prop. Nem. ad molend. Judicis.
M. VERIL. VICTORIS
DECURION. COL.
IVL. AVG. APOLNAR
REIOR. ITEM. COL
AVG. NEM. ORNAM
VIVOS SIBI ET SVIS
FECIT

Araus. apud Voulaire.

M
.... COL IVL MEM HEREDES EX
TESTAMENTO

Aq. Sex. ap. Præs. de Mazaugues.

D M
Q. IVLI . Q . FIL
TERTINEMOI
AEDIL II VIR
PONT ET FL COL IVL
AREL IVL LICI
NIANVS PARENTI
DVLCISSIMO

Narbonæ in mœnibus.

V Q TERENTIVS Q L SERENVS
Q TERENTIO Q LIB DAPHNO
VESTIAR IIIIII VIR
AVG. C. I. P. C. N. M. PATRONO
OPTIMO ET
OCTAVIAE VALENTINAE ET T
POMPEIO ERMO VIRO
..... SECVNDILLAE PVSINO ET
POMPEIAE
SALVIANI ..... LIBERTIS EORVM
OMNIVM ITEM
QVE ET LIBERTIS

Ibi.

Ibidem.

C IVLIVS C F
CAENALVS
EQVES ROMANVS
EX HISPANIA
CITERIORE
SEGOBRICEN

Ibidem.

L. STATIO
VOL
NASONI
AQVIENSI

Nemausi

T ALBVCIO
TERTIO
VOL AQVENSI

Forojulii apud Antelmium.

C IVLIO
SEVERO
PETRVCORIO

Vintii.

IMP CAES
M. ANTONIO
GORDIANO PIO LEL
AVG. PONT. MAX.
TRIB. POT. II. PP. COS
CIVITAS VINT DEVO
TA NVMINI MAIESTA
TIQVE EIVS

EPISTOLA

Aostæ in Castro.

VLPIAE AN
THVSAE
AGRIPPINENS
M. AVREL ADIVTOR
AVGG LIB
CONIVGI KARIS
SIMAE

Antipoli

C TVLL FLAMINIVS
DECVRIONIS FILIVS
DOMO CATINA EX PROVIN
CIA SICILIAE INCOLA ANTI
POLITANVS SIBI ET S

Augustoduni in Curia.

Q SECVND
QVIGONIS
CIVIS TREVERI
IIIIII VIR AVGVS
TALIS IN AEDVIS
CONSISTENTIS
OMNIB HONO
RIBINTEREOS
FVNCTI QVIGO
NISECVNDVS
ET HIBERNALIS
LIBERTI ET HE
RED PATRONO
OPTIMO SVBAS
CIA DEDICAVER
EDIXDO

Reiorum Apollinarium *Colonia*, quam silentibus libris marmora prodidere, vides heic *Juliæ Augustæ* titulo auctam, de quo neque ex monumentis constabat, neque ex auctoribus. A Nemauso M. P. II. jacet, sive ut aptius, dicam, occulitur lapis. Arausionensis, quæ subsequitur, dimidia tantum parte superstes est. Colonia julia Meminorum videtur in ea laudari, quam memoraverat nemo. Arausionem Ptolemæus Cavaris adsignant. Meminit Plinius carpentoracte, sed coloniam non indicat. Defuncti nomen, omniumque in marmore desiderantur: exempli causa *flamen*, aut *decurio coloniæ* &c. Coloniæ julie arelatensis pontificem, & flaminem tertia exhibet, Aquis sextiis excepta. Sequentis inscriptionis singularis *Col. Julie paternæ clnudiæ* interpretabimur, si cum Grutero aliisque stamus, qui easdem in aliis lapidibus reperetunt; sed mihi *piæ constantis narbonis martii* interpretatio non una de causa magis adridet. Superesse mihi asseritur vulgatum marmor, in quo per consequentiam literarum *Colonia pia flavia constans emerita Aventicum Helvitiorum* legatur. Singularis est equitis romani e Segobriga titulus. Aquensium nomen variis in regionibus invenimus, sed hos voltinia tribus ex Aquis sextiis manifestat: Albucii alterius idem lapis consimile omnino epitaphium retinet, cuius cognomentum detritum. *Antbusa* ex colonia agrippinensi fuit; Ubii enim ex Tacito *libentius Agrippinenses conditoris sui nomine vocabantur Mor. Germ.* Po-

Postremas duas pro ineditis non vendito: unam Bouche in Provinciæ Historia retulit, sed deformatam: alteram nuperius liber *Voyage litterarie* inscriptum recensuit: at cum cuiusmodi lucubrationes multo serius ad oras nostras perveniant, eo libentius eam tibi repræsento, quo hæc ipsa die e magno integroque stylobate excepi. Verba adamussim incisa spatium omne complent: lateribus scutum oblongum utrumque acuminatum insculptum est. *Civis Treveri* non a populo videtur dici, sed ab urbe ipsa, ut *civem helvetium* pro aventicensi accipio in genevensi lapide a Sponio relatum, cum Aventicum *civitas Helvetiorum* sit in Notitia Galliarum; & *civem valensem* in alio ibidem marmore accipio pro octodurensi, habetur enim in Notitia *civitas Valensium Octoduro*. At de singulariis ad calcem quid dicemus? Illæ quidem non ex consuetis formulis, solennibusque verbis depromptæ, ut mos erat, sed ad arbitrium concinnatæ, & quiddam forte significantes, quod intelligi liberti isti nolebant. Dum describerem, quæsitum est a me, quid sibi vellent; respondi protinus: *& de ipsorum denariis dotaverunt optime*: custodiæ siquidem causa, & tutelæ nomine aliquot interdum agri jugera monumentis cedebant, quibus dotata quodammodo dici poterant, velut ulmis *dotatæ* dicebantur vites. Ridens protuli, & ridenda sane interpretatio est; sed postquam resipui, quod aptius quadret vix invenio. Legens exempli gratia *Ex*

de-

decurionum jussu ducem datæ ollæ, nihil quidem laudabilius proferrem. A te quid sentias, & quomodo expedias, expecto; hoc enim quodcumque est ænigmatis, vel tu solves, vel neme. Nec dissimulandum tamen, ob detritum ibi aliquanto lapidem unam & alteram ex hisce literis ambiguam reddi. Non defuere qui legerent L D E X D O, quod explicari possent, *Locus datus ex decreto Ordinis*, sed de loco dato in sepulcralibus nunquam mentionem vidimus.

In priori quoque Inscriptione compendium habetur ORNAM, quod ambiguitatem parit, cum qua enim ea vox coalescat, ancipites sumus. Verum integram en tibi sententiam in integro prorsus titulo, quamvis tanquam duobus locis mutilatum repræsentarit Gruterus, & Firmum Lucani libertum fuisse, non indicarit:

DIS MANIB
FIRMI LVCANI L
I$_{IIII}$I VIR AVG
ORNAMENTIS
DECVRION NEMAVSI
HONORATO

Hoc autem duobus quidem verbis significare mos erat, ut in hac apparet pariter apud Gruterum corrupta 428. 8;

L LE-

L LETIVS
MARVLLVS
IIIIII VIR AVG ET
DECVR ORNAM
V S F

Sed una tantum dictione Inscriptio significavit, quam in capite recitavi: quod ne tamquam insolens nimis & inobservatum displiceat, atque attriti, & diminuti marmoris suspicionem ingerat, ecce aliam nondum vulgatam insueto item modo idem exprimentem:

IIIIII VIR AVG
ET DECVRIONI
ORNAMENTAR
IVLIO AEMILIO
ANICETO ET
IVLIAE THEOPILE
V S P

Nemausi habentur singulæ, hæc quidem in curia: superior ad Coronæ portam, prior Firmi Liberti apud Boschierium. *Ornamentarium* intelligamus *ornamentis tenus*, ac si *decurio honorarius*, ut loquimur, nuncuparetur. Discimus hinc, quomodo in præmissa M. Verii Victoris explicari compendium debeat, itemque discimus, eumdem in altera colonia decurionem fuisse pleno jure, in altera insignibus tantum decurionatus honoratum. Vocem in eodem sensu

in

in nemausensi alio lapide visam puto, sed quam Guiranus, & Sponius misere depravarint, VRNAMENTAR scribentes, & Dianæ solutum votum T Commii Ornamentarii monumento adsuentes a T. Commio Seviro Augustali posito *Misc. pag.* 238: Sponius etiam pro urnarum figulo habuit urnamentarium suum: utrumque lapidem frustra quæsivi. Verum Inscriptioni syntaxim animadverte quæso: *Seviro Iulio Aniceto vivens sibi posuit*; cum in lapide incolumi nihil desit. Duas alias eodem locutionis tenore exaratas in urbe eadem vidi, legitimas pariter, atque extra omnem dubitationis aleam positas. Vale, literatorum decus, & senatoriis muneribus ne tam assidue incumbas, ut Musarum, quæ tibi se devoverunt omnes, obliviscare.

EPI-

EPISTOLA XIII.

JOSEPHO DE SEYTRES

CAVIMONTIS MARCHIONI

SC. MAFF.

S. P. D. { *VI. Kal. Febr. an.* MDCCXXXII. *Parisiis.*

Lutetiam Parisiorum serius aliquanto quam decreveram propter itinerum difficultatem advento; quod tibi statim nunciatum volo, ut scias ubi gentium degat, quem benevolentiæ atque amoris testimoniis omnibus omnino fecisti tuum. Nunquam equidem ex animo effluent fausti ac felices illi dies, quibus non jucundissimis tantum lautisque mensis, sed eruditis colloquiis, ac selectissimis cum libris, tum monumentis bis me in urbe Avenionensi excepisti. In hac vero metropoli, tempus modo supperat, & voluntas, si qua mihi cum Musis habenda consuetudo erit, librorum profecto opportunitas non deerit; cardinalis enim Romanus (tanta principis huius viri benignitas est & magnanimitas) ex amplissima ac selectissima eius bibliotheca quicumque, & quotcumque arbitratu meo ad me libri, deferantur, iussit; quin si quos peterem in ea nondum receptos, ut emantur statim: quod libentissime se præstiturum recepit

pit perhumanus bibliothecarius Joannes Oliva Rhodiginus, latinis epistolis, eruditisque ad me missis dissertationibus a multo jam tempore mihi notus.

Cum plures mihi a te collectas Inscriptiones ostenderis, ut simillimo munere te remunerer, ecce militares aliquas, dum Gallias peragro, a me in pugillatia relatas. In priore, quo occurrere non solet, voluntate imperatoris, & suffragio legionis Honoratum vides, & quod nusquam occurrere memini, vides Emeriti Emeritam. Quænam fecisse stipendia libertam hancce putabimus? potest tamen, & debet verbum honeste accipi: forte etiam pro cognomento est, ut in hac quæ Antipoli superat.

D M
AELIAE IVLIAE
CELSAE
ÆLIVS FELI
CIANVS ET VA
RIA EMERITA
FILIA FECER

Centurionem legionis quintæ macedonicæ deinde habes, & iterato legionem primam minerviam piam fidelem. Quartam epigraphem ita ad calcem lego, ut eam naviculariorum marinorum arelatensis corporis quinquennales dicaverint: in ea propræfectus est, & adiutor procuratoris ad annonam provinciæ narbonensis,

& Li-

& Liguriæ: officia sane minima obvia . Ubi exinde marmor deficit, *Alam milliariam* suppleo. Qui nugas meas statim ac prodierunt, ad te perferri semper voluisti singulas, cohortem milliariam equitatam, quam ex præclaro musei taurinensis epigrammate in Diplomatum Historia exhibui, te animadvertisse puto. Classis germanicæ in subsequenti tantum monumento, & semel a Tacito memoratæ Trierarchum prodiderat Bouche in Provinciæ Historia; Seguinus quoque: sed non deerant qui de fide ambigerent: perquisivi lapidem, & inveni, tametsi evanidum fere, quod assidue teratur inter pavimenti segmenta in monasterio Minimorum arelatensium locatum. Narbonæ autem inter marmora ad maioris templi ædificationem parata ingentia frusta duo reperi, quæ in veteri ædificio inscriptionibus obversis, & in muro abditis adhibita olim fuerant, aversa parte anterius exhibita, & architectonice, quamvis barbare, elaborata. Titulos continent, quorum alterum coloni ex decima olim legione profecti, alterum Narbonenses universi posuere; & hunc quidem Elagabalo, cuius nomen post *divi Severi Nepoti* mirum est non apparere.

Tot etiamnum epistolis urgeor, at abrumpere fabulationem cogar. Brunium decanum, eruditum quidem ac perhumanum virum: meo nomine etiam atque etiam salutes pervelim.

Gra-

Gratianopoli in veteri Franciscann. Conv.

D M

T. CAMVL. L. F. LAVERTI
EMERITI LEG. III GALLIC
HONESTA MISSIONE DO
NATI AB IMPER. ANTONINO
AVG. PIO ET EX VOLVNTATE
IMP. HADRIANI AVG. TOR
QVIBVS ET ARMILLIS AVRE
IS SVFFRAGIO LEGIONIS
HONORATI CAMVLIA SOROR
EIVS ET PATEGORIA E
MERITA EIVS PATRONO OP
TIMO ET PIISSIMO

Foroiulii apud Antelmium.

DIS MANIBVS
NVMISIAE CAESIAE G NVMISI F
CONIVGI PIENTISSIMAE VIXIT
ANNIS LX L SOLICIVS AVRELIAN
ↄ LEG V MAC. ET LEG P. MINER
VIAE P. FIDELIS SE VIVO ET NV
MISIVS CHRESTVS LIBERTVS SIB
ET SVIS FECERVNT

Augustoduni.

D M
C. AEMILI
VICTORIS
VETERAN
LEG. P. M. P. F.
HAEREDES
POSVERV
NT

Arelat. in pal. Archiep.

..... COMINIO ....
..... LAVD .... I .....
AGRICOLA ... ELIO
A PROPRAEF COHOR
TERT BRACAR AVGVSTAN
TRIBVN ... ADIVT PROCVR
AVGVSTORVM AD ANNONAM
PROVINCIAE NARBONENSIS
ET LIGVRIAE PREF A ..... IARIAE
IN MAVRETANIA CAESARIENSI
NAVIC MARIN AREL
CORP QVINQ PATRO
OPTIMO ET INNOCENTIS
SIMO

Are-

Arelate ante Templ.

L DOMIT. DOMITIANI
EX TRIERARCH. CLASS GERM
D PECOCCEIA VALENTINA M
CONIVGI PIENTISSIM

Narbonæ.

IMP CAESARI
DIVI ANTONINI
PII FIL DIVI HADRIAN
NEPOTI DIVI TRAIANI
PARTHICI PRONEPOTI
DIVI NERVAE ABNEPOTI
L AVRELIO VERO AVG AR
MENIACO PONT MAXIM
TRIBVNIC POTESTAT IIII
IMP II COS II PROCOS
DECVMANI
NARBONENSES
IMP CAES
. . . . . ONI
. . . . . .
. . . . . .
. . . . . .
. . . . . .
DIVI SEVERI
NEPOTI
NARBONENS

EPISTOLA XIV.

JOANNI BOUHIERIO Præs.

SC. MAFF.

S. P. D. { *V. Kal. Febr. an.* MDCCXXXIII. *Parisiis.*

Postquam demum circumcursare desino, & Parisiis consisto, poscit officii mei ratio, & gratia postulat, ut tibi per literas salutem dicam, qui me tam benigne, tam liberaliter in divionensi urbe excepisti doctrinam tuam plurimi quidem facere jam tum incæperam, cum Dissertationem perdoctam sane, & injuria nomini tuo a te fraudatam, perlegi, quam clarissimus p. Montfauconius, tamquam parergon prænobile, ad palæographiæ calcem adjecit. Auxit tamen admodum opinionem præsentia, & quanta præstes omnigenæ antiquitatis notitia, juris scientia, græcæ linguæ peritia, & poesis etiam elegantia; critico item acumine, selectiorique doctrina omni quam excellas, multo melius sermocinando intellexi vetera, quæ in gallicis provinciis monumenta collegi, dum iter facerem tibi exhibere optans optanti nequivi: nunc vero ut eorum specimen aliquod tibi præbeam, quinque Inscriptiones seligo exoticas, ut dicam, & ab usitatis formulis, atque a communi modo recedentes.

KA-

KALAVIA. M.
F. Ↄ. LEG. IIX
HIC SIT
SACRORVM
M A R T I
ET G. FLAVIANI. N
MARCVS. ET LVCIVS HERMOLAI. F

CN. PLAETORIVS. MACRINVS
COLONIS ET INCOLIS
EX. EA. PEQVNIA. QVAE. EI. IN
STATVAS. CONLATA. EST

..... RO ALB ..... RO .. IO
.... L AVFIDIO MARCELLO II COS
SPLENDIDISSIMI VECTIGALIS MASSAE
FERRARIARVM
MEMMIAE SOSANDRIDIS C. F. QVOD
AGITVR SVB CVRA
AVRELI NEREI SOC ... VECTIGALIS

ARRECINO CLEMENTE II
L. BAEBIO HONORATO
COS
... VLIVS GRAPTVS MAG
... MAESOLEVM EXCOLVIT ET VT ESSET FRV .....
... T POSITIS ARBORIBVS VITIBVS ROSA .....
... OBLATA SIBI A COLLIBERTIS IMMVNITATE ET TITVLVM
... O BENIVOLENTIA EIVS CONTINERETVR
... QVA PARTE VTILITATIBVS EORVM
... AVIS VIDERETVR IMMVNITATEM
... MISSIT ET TITVLO QVEM DE SVO
..... IT CONTENTVS FVIT

De priori quid censes; hominisne cognomen Kaladiam esse, ut Agrippas, Braudas, Aviolas, Trachalas, novimus, an intelligendum *Marci*, *octavæ legionis centurionis*, *filiam* ibi *situm* esse? *Sacrorum* ita accipio, ac si *a sacris* diceretur. Marmor in veronensi museo collocavi *Offiliae Quintae sacrorum romaniensium*; nempe in huiusmodi sacris adhibitæ, iisque dicatæ religionibus. Epigraphe oblongo lapidi credita est, qui a Forojulio II fere passuum millibus apud colonicam domum reclinatus jacet: verba tabellam implent huic usui summo lapide sculptam.

Titulus, in quo longe dispares Dii Mars, & Ge-

& *Genius Flaviani Nostri* conjunguntur, tympano est incisus, qui ædificioli cuiusdam decorasse videtur fastigium: prope Nemausum in viridario visitur. Putasne, Hermolaos Marcum, & Lucium *Fecisse*; an Hermolai *Filios* dicasse? Macrinus, qui pecunia honoribus suis deputata colonis romanis, & popularibus loci ædificium aliquod dedit, in castri novi templo haud longe a Monspelio visitur.

Lugduni in domo quadam Fuorvierii collis Parium marmor reperi exigua mole, rotundum ferme, sed mutilato acumine; ita ut coni formam olim habuisse conset. Circumcirca Inscriptio incisa est quarto loco exhibita Præmissis consulibus, qui ex suffectis sunt, & antea quod meminerim non auditi, indicabatur iis verbis, ut opinor; illud omne, quod mira marmoreum conum erat, ad vectigal, hoc ad redemptores pertinere publici vectigalis ex ferrariis fodinis percepti, & ad Massae, seu metallici acervi inde collecti dominum: ad Memmiam nempe, & ad Nereum vectigalis socium, ac eiusdem curam agentem. *Arcae Ferriariarum judex* memoratur in eximio lapide thorignensis castri. *Magnas ferrarias* apud Bituriges olim fuisse, testatur Cæsar *Gall. l.7.* fuisse in Lugdunensi, cum hæc Inscriptio docet, tum alia, quæ *Ferrariarum Procuratorem* memorat, & ad Ferrarienses, quorum nondum in Italia urbes aut nomen habebantur, perperam Sponius retulit. *In Lugd. pag.* 188. Inter publicos populi romani redi-

tus haud minimi fuit momenti, qui e fodinis metallicis proveniebat; nam Porcium Catonem profligatis Hispanis, & pacata Provincia *vectigalia magna ex ferrariis, argentariisque* instituisse, Livius tradit. *Lib.* 44. 426. 4. Habetur apud Gruterum in Narbonensi lapide: CON. FERRAR. RIPAE. DEXTRAE, quod interpretor *Conductor Ferrariarum*. Suffectis consulibus extrema quoque illustratur Inscriptio, quamvis funeraria sit; apud Laturium Nemausi servatur, magnifacienda profecto, ni tam exigua esset sibi parte superstes. *Maesoleum* in Nemausensis alias satis nota item scribitur.

Massiliæ hanc excripsi, non ita pridem e Smyrnea allatam. Pro Smyrnea ex ipsa scripturæ forma protinus agnovi. Quamvis nihil nisi tritum contineat, commendatur quod Græca sit.

ΟΝΗCΙΜΟC ΔΙΟΝΥCΟΔΩ
ΡΟΥ ΚΑΤΕCΚΕΥΑCΕ ΤΟ
ΜΝΗΜΕΙΟΝ ΕΚ ΘΕΜΕΛΙ
ΩΝ ΕΑΥΤΩ ΚΑΙ ΚΛΑΥΔΙΑ
ΦΙΛΗΤΗ ΤΗ CΥΜΒΙΩ ΚΑΙ
sic. ΚΑΙ ΤΟΙC ΙΔΙΟΙC ΚΑΙ
ΑΠΕΛΕΥΘΕΡΟΙC ΟΜΝΗ
ΜΕΙΟΝ ΜΗΔΕΝΙ ΕΞΕCΤΩ ΠΩ
ΛΗCΑΙΗ ΑΠΑΛΛΟΤΡΙΩCΑΙ ΚΑΤΑ
ΜΗΔΕΝΑ ΤΡΟΠΟΝ

Onesimus Dionysodori filius monumentum extruxit

xit a solo, sibi, & Claudiæ Philete conjugi, & suis, & libertis. Monumentum autem nemini liceat vendere, aut quocumque modo abalienare, pag. 351. Lapidem dom. Carry possidet: illumque insuper, quem Sponius Smyrnæ vidit, & in Miscellaneis dedit: ubi in edito ΕΠΙΘΕΤΕΙΝΑΙ, marmor, ΕΠΙΘΕΙΝΑΙ. ubi ΕΙΣΟΝ, marmor ΕΙΣΗΝ, ubi ΑΠΟΤΕΘΗΣΕΤΑΙ, marmor ΚΗΔΕΥΘΗΣΕΤΑΙ. In eadem urbe apud patres societatis Jesu columnam vidi, in qua titulus est *Clephenae* matri a filio positus. Cum incipiat ΚΛΗΦΕΝΗ interpretatus est, qui post Ruffium edidit, *Caia Lephena*: *Mem. Treu. n.* 1715. verum prænomine ornata in Græcis elogiis femina reperitur nulla, & pro recto casu haberi non posse, Inscriptionis contextus declarat. Iota quidem desideratur, quod dandi casui amanuenses subscribunt, & melioris notæ marmora consequenter adjiciunt, sed eodem modo in superiori ΚΛΑΥΔΙΑ ΦΙΛΗΤΗ ΤΗ CΙΜΒΙΩ depingitur. Græcam multo maioris pretii Inscriptionem ad *Veronæ illustratæ* calcem videbis in Memmiani honorem sculptam, qui inter alia munia *ad senatum*, *& ad imperatores* pro patria sua, & pro Græcis omnibus legatus processerat.

Nolim e memoria excidat, quod benigne promisisti: cum scilicet Artis Criticæ Lapidariæ meæ librum secundum in Inscriptionibus ab auctoribus priscis allatis versari dixissem, & subinde de carminibus illis sex, vetustissimis

mis quidem, sed valde corruptis incidisset mentio, quæ apud Aristotelem (ut putatur) in libello περὶ θαυμασίων ἀκουσμάτων recitantur; sanæ lectioni iam reddita, dissertationemque a te in eo argumento elaboratam fuisse asserens, expetenti mihi transcriptum iri quam primum illa, & Parisios perlatum, fidem obstrinxisti tuam. Quas mihi epistolas tradidisti, propediem exhibebo. Si quicquam, dum in hac metropoli commoror, mandabis mihi, pro tuorum in me magnitudine meritorum dabo operam, ut ne desideres officium meum. Seguierius meus multa tibi salutem nuntiat. Cura ut valeas.

EPI-

EPISTOLA XV.

LUDOVICO DE MAZAUGUES Præf.

SC. MAFF.

S. P. D. { *IIII. Kal. Febr. an.* MDCCXXXIII. *Parisiis.*

Deliberanti mihi, quibusnam potissimum pro multis, dum Galliæ provincias obirem, in me collatis officiis per literas gratias agere, & in hanc me demum urbem perventum renunciare debeam, tu præcipue occurris, vir amicissime, cuius jucundissima consuetudo, dum Aquis sextiis substiti, me continenter beavit. Hæret infixa pectore non humanitas tantum tua, & singularis doctrina, & omnium elegantiarum plena eruditio, sed tota quanta est domus excusis manuscriptisque codicibus, numismatibus inscriptionibus omnigenaque Musarum supellectile referta circumundique, & cumulata. To to animo reputare aliquando soleo, quam durum sit, & perpessu asperum, eorum hominum, quorum ob eadem studia, & ob similitudinem morum suavissima esset societas, familiaritas, & convictus, alterum in una, alterum in alia provincia occurrere, & non in diversa tantum civitate, sed in longe dissitis sæpissime regionibus vitam agere; ita ut illos vicissim aut marium interjectus, aut

præruptis porrectæ in rupibus Alpes Sid. Ap.

ple-

plerumque disterminent. Nimirum feliciter hoc ævi quodcumque est ex omni parte degere optamus omnes, impetrat nemo.

Minime sum oblitus quod injunxisti, nempe ut si inter monumenta a me recenter collecta quidquam esset antiquorum carminum, ubi pedem figere, & sarcinulas explicare contingeret, id tibi transcribi curarem. At morem gerere aventi perpacuam obviam veniunt e lapidariis Musis prognata, vulgoque haud agnita. Antequam Alpes transirem, Novarriæ, comite Donato Silva indicante, hoc distichum exscripsi paulo ante e terra erutum:

OPTATVS CASSIVS
OPTIONIS F
SVSCEPTVM MERITO VOTVM TIBI
MERCVRI SOLVI
VT FACIAS HILARES SEMPER TVA
TEMPLA COLAMVS

Optionis nomen animadverte, & cognomentum gentilitio præmissum, quod quibusdam scriptoribus familiare est, in lapidibus perrarum. Arelate subsequens decastichon vidi, muro domus infixum prope monasterium Misericordiæ:

DEBITA CONIVGIO APELLES PIA
CARMINA SCRIBIT
sic. QVAM RAPVIT MORS INIMICA VIRO
HAEC DEBENT MEMORES POSTRE-
MA IN MORTE REFERRE
OB REQVIEM GRATAM QVAM PIA
CVRA DICAT
CONIVGIS OFFICIVM TESTATVR
CARMINE PARVO
EXTREMVMQVE TIBI REFERO MV-
NVS.....
DVLCIS CASTA VIRO REVERENS
PIA CARA FIDELIS
TOT DAMNA AMISSA CONIVGE
IVRE FLEO
TE LAPIS OBTESTOR LEVITER SV-
PER OSSA QVIESCAS
ET MEDIAE AETATI NE GRAVIS
ESSE VELIS
SEX POMPEIVS APELLES CONIVGI
INCOMP

Uxoris reticens nomen, versum secundum Apelles noster pede fraudavit. Postremi duo ex eorum numero sunt, qui in funebribus titulis levi mutationem *plus vice simplici* occurrunt. *V. Gr.* 885. 3. In Narbonæ mœniis plures conspexi lapides, in quibus apollinea frusta sunt reliqua, sed adeo detruncata, & concisa, ut nullius fere sint frugis. Superest in uno:

SA-

SACRATAM CVNCTIS ..... VIATOR
HANC SIQVIDEM NOBIS FATA DEDERE DOMVM

In altero:

SIC TIBI PRAETERITO REDEAT FELICIOR ANNVS
..... ET FACILIS ..... REGATVR OPE
NEC DVRAE MORTIS SACRATOS LAEDERE MANES
ECCE MONENT LEGES ET LEVIS VMBRA ROGI

Nunc Latinorum paucitatem epigrammate haud illepido tibi compensare perco Græca, quam impense amas, Musa genito. Me peregre exeuntem nescio quo casu subsequutum est: inter cuiusdam scilicet libri paginas latuit. Hoc epitaphium quidem a longo jam tempore, ut & complura alia, supprimo, nam Venetiis ante hos XX annos detexi; accipe vero quam mirifico & singulari modo. Rescissum in medio a summo ad imum in prænobili Grimanorum museo exscripseram aliquando lapidem, rejectum ferme & veluti mutilationis suæ pudorem quodam abditum ac latentem, cum versiculos non nisi dimidiatos haberet. Post tres circiter annos cum in vestibulo bibliothecæ s. Marci præstantissima cimelia lustrarem, rimarerque, lapidis frustum animadver-

verto occultatum post statuæ basim : ut extrahatur, facio & dimidiata epigraphe insculptum video. Cum in adversaria referrem, vix ad versum tertium perveneram, succurrit mihi excepta olim illa, complementumque huius esse pro certo habui: ubi domum rediissem, simul contuli, integrumque epigramma non sine gaudio percepi. Sepulcrale est mulieris in puerperio extinctæ, & dialogismo peragitur, ut alia quædam in Anthologia. Obscura illa τέκνων ἀρσενόπαιδας ὄναρ pro masculorum privatione accipiens, transtuleram, *Nequidquam nostro est sæpe cupita viro:* sed is sensus cum consequentibus minus cohærere visus est. Sed cum secundis curis epigramma repeterem, ὄναρ non pro somnio habui, sed pro audaciori contractione nominis ὄνειαρ, *masculos quæ sobolis utilitas &c.*

Φράζε τίνος γονέος, σέο τὄνομα, καὶ πόσιν αὐτὸν,
Καὶ χρόνον εἶπε γύναι, καὶ πόλεως ὅθεν εἶ.
Νείκανδρος γενέτωρ, πατρὶς Πάρος, ὄνομα δ' ἦν μοι
Σωκρατέα, φθιμένην Παρμενίίων δ' ἔθετο
Σύνλεκτρος τύμβῳ με· χάριν δέ μοι ὤπασε τήνδε
Εὐδόξῳ ζωᾶς μνῆμα καὶ ἐσσομένοις.
Καί με πικρὰν νεαροῖο βρέφος ἀφύλακτος Ἐρεινὺς
Αἱμορύτοιο νόσῳ τερπνὸν ἔλυσε βίον·
Οὔθ' ὑπ' ἐμαῖς ὠδῖσι τὸ νήπιον ἐς φάος ἦγον,
Ἀλλ' ὑπὸ γαστρὶ φίλᾳ κεύθεται ἐν φθιμένοις.

Τρισ-

Τριτσὰς ἐς δεκάδας δὲ πρὸς ἓξ ἐτέων χρόνον ἦλθον
Ἀνδρὶ λιποῦσα τέκνων ἀρσενόπαιδας ὄναρ.
Δισσὰ δὲ πατρὶ λιποῦσα ἓ ἰμερτῷ συνομεύνῳ,
Αὐτὰ ὑπὸ τριτάτῳ τόνδε λέλογλα τόπον·
Ἀλλὰ σὺ παμβασίλεια θεὰ πολυώνυμε Κούρα
Τήνδ' ἄγ' ἐπ' εὐσεβέων χῶρον ἔχουσα χερός.
Τοῖς δὲ παρερχομένοισι θεὸς τ' εὐχήν τινα δοίη
Ἐν πᾶσι χαίρειν Σωκρατέαν κατὰ γῆς.

Dic mulier, quisnam genitor? quod nomen? & ipsum
Conjugem, & ætatem; quave es in urbe sata?
Nicander genitor, patria est paros, & mihi nomen
Socratea: extinctam Parmenio tumulat
Me consors; huius monumenti munus ab illo est,
Quod decus æternum posteritatis erit.
Mi tenerum infantem parituræ sanguinolenti
Vis morbi dulcem hunc abstulit atra diem.
Me vero languente in lucem haud prodiit infans,
Urna infelici venter at ipse fuit.
Sex ac ter denos vixi annos: mascula proles
A me iucundo est pulcra relicta viro.
Duplex illa quidem, dilecto cara marito;
Tertia quem cernis mi dedit ipsa locum.
Ast tu hanc Persephone, vario quæ nomine culta es.
Excipe, eamque piis insere, diva, choris.
Tum qui prætereunt, certent hoc fundere votum:
Socratea æternum gaudeat, & valeat.

Fac

Fac valeas tu quoque, sed lætiori sensu, & meliori omine, ac me ut facis mutuo diligas. Illustrem Lebretium, antiquitatis vindicem solertissimum, cui quantum debeam nosti, iterum salutatum volo.

EPISTOLA XVI.

HENRICO BRENKMANIO, J. C.

SC. MAFF.

S. P. D. { *III. Non. Febr. an.* MDCCXXXIII. *Parisiis.*

A longinquo quidem tempore nunciis tuis omnino careo, & quæritandi de te, sciscitandique ab omnibus, qui ex Hollandia veniunt, quo in loco nunc degas, num e lippitudine convalueris, Pandectisne tuis etiamnum insistas, frustra nullum finem facio. Cum autem tibi valde jam appropinquarim, antequam istuc iter dirigam, ac teipsum clarosque alios in istis provinciis rei literariæ proceres, ut opto & spero, conveniam literis prævertere ac prænunciare malui, veterique amicitiæ, & consuetudini etiam nostræ, quam Florentiæ una cum suavissimo Salvinio mutua jucunditate olim usi sumus, satisfacere.

Itineris huius universi antiquis monumen-

tis, veteribusque titulis magnam partem dedico. Eorum, quos Lugduni, & in Narbonensi collegi, specimen aliquod heic tibi exhibeo, nimirum illos, qui officia, & artes continet. *Haruspicem publicum* puto non videras. De apparitoribus multa leges vestræ docent, sed quid postremus versus diceret, docet nemo; neque enim heic de *siglorum captionibus*, *& compendiosis ænigmatibus* explicandis agitur, ut cum Pandectis loquar. Lictorum, & viatorum officia aliquando coaluisse, ex tertia discimus: hanc quidem Catelius exhibuit, sed EX. SS. perperam scripsit, & erant qui de aliarum dictionum fide ambigerent. Fabrorum tignariorum corpus, & navalium collegium in urbe Arelatensi ex sequentibus habemus: Curatorem quoque nautarum rhodanicorum. Sed quid de Clavario Materiario censes? nuspiam, quod meminerim, de eiusmodi artifice audiimus: τὰς ἥλας σιδηρᾶς τε καὶ ζυλίνας memorat Xenophon in Cynegetico.

Agmen claudit lapillus quadratus subviridis, unguentariæ thecæ olim operculum. Quadripartia ea fuit, & totidem collyria continuit continua oculis ægrotantibus illinenda. Myropolæ M. Iulii Charitonis unicuique nomen adpositum. *Isochrysi* appellatione auro contra carum non esse forte studebant suadere: *ad claritudinem* acquirendam prodesse dicebatur: huius nominis collyrium apud priscos Medicos non invenio, sed idem fuisse puto, quod velut

lut incerto nomine & *isophotou*, & *isotheon* olim vocatum, ab Aetio discimus. *Diarbodon* Diagoræ commendant Oribasius; Galeni item innotescit; *ad fervorem* sedandum Charito valere suum adnotaverat. *Diasmyrnum* memorant Aetius, & Marcellus, & Scribonius Largus, qui ad pustulas, & ad suppurationes oculorum facere prædicant. Quod reliquum est, aut abstergens fuisse videtur quoddam, aut purgans a διαψαίρω appellatione deducta, vel a διαψάω: nisi tamen *Diaprasium* erat, quod in Nicolai Antidotario contra oculorum caliginem recensetur. Tria huiuscemodi myrothecia attulit Sponius in Miscellaneis: unum Edmundus Chishull in Dissertatione *Thesauro Britannico* ab Haymio inserta. Sed quid ego medica hæc tibi, inter illos eminenti.

Qui juris nodos, & legum ænigmata solvunt? Juv.

Valde festinanter dabam, nam horæ pene omnes in hac urbe maximam nescio quo pacto mihi absumuntur. Aliquot procul dubio mensibus in tam celebrata metropoli commorabor: non studiorum tuorum tantum, sed & valetudinis interea rationem habe.

Nemausi non longe ab Amphith.

D M
C. NARII ONESIMI
IIIIII VIR AVG
Sic. HARISPICI PVBLI
CO
PATRI OPTIMO
FILIA POSVIT

Nem. apud Fabrottum.

CN. POMP. FR
ONTO APPARI
TOR IVNONI
V. S. L. M.
... O N G A

Narbonæ in mœnibus.

C MANIVS CF
PAP RVFVS VMBER
EXS DECVRIA
LICTORVM VIATORVM
QVAE EST CIPNM
FECIT SIBI ET SVIS

Narbonæ apud Carmelitas.

VIVONT
L CERVIVS. LL
ZETVS CLAVAR
MATERIAR. SIBI ET
NOTAE LIBERT
IVCVNDAL .....
IN AGRVM PED ...

Arelate in Pal. Arch.

DM
L IVLI AVGVS
TALIS FABRI
TIGN CORPOR
AREL L IVLIVS
TROPHIMVS
PATER INFE
LICISSIMVS

Ibidem.

C IVL POM .....
COLLEGA FAB ...
NAVALIVM C ....
CVRATOR EIVS ..
CORPORIS ET ....
SEVERA VIVI ....
POSVERVNT ET ...
DEDICAVERVNT

Narbonæ in mœnibus

Θ
LVCCEIVS
PHILINIL
MEDICVS M ....
ANINIA
L ATTICE

Lugduni ad S. Irenæi in Sarcophago.

DM
L. HILARIANI CINNA
MI. CIV. AVG. NAVT
RHODANICO RHO
DANI NAVIGANTIS
CVRATORIS EIVSDEMQVE
CORPORIS NEGOTIATO
RIS Q. HAR ..... Q. MAS
PETIVS SEVERIANVSQ.
SEREIVS ET CL. SEVE
RINVS AMICVS IDEMQVE
HEREDES P. C. ET SVB
ASCIA DEDICAVERVNT

D M

Ibidem.

. . . IAE PLACIDAE
. . . IAPHODISI FILIAE
. . . VARI ARGENTARI
VIVIR AVG LVG CLAVDIA
PLACIDA MATER MISERRIMA
QVE SVPERVIXIT
. . . . POSVIT

Ibidem.

L. BAEBIVS
LEPIDVS
NVMMVLARIVS

Di-

Ibidem.

VFADIVS SEX ...
MEDICVS

Divione ap. P. Oudin.

EPISTOLA XVII.

PAULIO GALEARDO Can.

SC. MAFF.

S. P. D. { *Non Feb.* *an.* MDCCXXX. *Parisiis.*

Tibi quidem, qui antiquis Inscriptionibus mire es deditus, postquam eius generis quidpiam a me flagitas, non nisi præclarissimam exhibebo. Basis est marmorea in Nortmanniæ castro Torigny, quatuor circiter pedes alta, duos in fronte lata, unum cum dimidio crassa. Inscriptionis partem edidit Sponius *Misc. pag.* 282, sed corrupte. Ex ipso marmore mihi nunc diligentissime totam transcripsit vir eruditus, & cum compendiis suis, versuumque servato ordine ut jacet reddidit. Literas omnes, quæ etiamnum visuntur, maiori forma tibi repræsento, quæ minori conspicis, ab exemplis desumsi, quæ antequam verba evanescerent, dicuntur descripta. Cum tamen exempla isthæc locis pluribus valde inter se pugnantia deprehenderi, ubi omnino incerta quæ proferebantur cognovi, punctis interstinxi. Nec pro omnibus tamen, quæ minuscula scriptura heic a me afferuntur, vadem me dabo; nam quatuor exempli gratia post tres priores habes versus, cum in marmore trium tantummodo spatium appareat, & lo-

locus. Secunda epistola dimidiata forte neutiquam est, ut prima, neque enim ET *Reliqua* ad calcem habet, & a verisimili non abest, legendum esse *Concordat* eo sensu, quo notarii cum documenti alicuius exemplum describere rogabantur, adnotare solebant ad calcem *Concordat cum originali*. De iis quæ ab hoc monumento discimus, multum, ut spero, habebimus inter nos aliquando sermonem.

Philastrii tibi codices perquirere, ut enixe rogasti, non destiti; sed hactenus operam perdidi: in instructissima tamen Benedictinorum S. Germani bibliotheca cod. 625. Philastrium haberi, intellexi nuper: doctissimos, atque humanissimos patres intra paucos dies evolvere permittant, orabo. Vellem equidem, quam meditaris, omnino editionem perficeres, nihil enim pulcrius, nihil numeris omnibus absolutius s. Gaudentii illa, quam plaudente atque acclamantem literatorum hominum choro nobis elaborasti. Etiam atque etiam vale.

In fronte basis.

T SENNIO SOLLEMNI SOLLEM
MINI FILIO NON Sine soliDO MARMO
RE ..... honorem deferre CVPI
MVS HEredibus mandamus
Vir erat Sennius Mercurii
Martis atque Dianae primus
Sacerdos cuius memoria omne genus spec
TA-

TACVLORVM ..... NICIA DIA
..... XXVII EX QVIBVS PER QVA
TRIDVM sine inter MISSIOne EDIDER
unt. Etenim gravitate et moriBVS ho
nestis prudentiaque singulari
FVIT commendabilis militiae
CONsummata peritia ex Civ. Vid. oriund.
Iste Sollemnis
AMICVS benem. GL. Paulini Leg. Caes.
Aug. Pr. Praet.
PROVINC LVGD . . . . ENS FVIT CVI
POSTEA
LEG AVG PENES .... AD LEGIONEM
SEX
ADSEDIT CVIQVE SAlaRIVM MILITIAE
IN AVRO ALIAQVE MVNERA LONGE
PLVRIS MISSA
FVIT CLIENS PROBATISSIMVS AEDI-
NI IVLIANI
LEG AVG PROV LGD QVI POSTEA
PRAEF (*Lugdunensis*)
PRAET FVIT SIC VT EPISTOLA QVAE
AD LATVS SCRIPTA EST
DECLARATVR ADSEDIT ETIAM IN
PROVINCIA
LEG M VALERIO FLORO TRIB MIL
LEG III.
AVG IVDICI ARCAE FERRAR .....
(*Ferrariarum. Vide supra in ep. XIV.*)

TRES

TRES PROV GAL

PR ..... MONVMENTVM IN SVA CIVITATE POSVERVNT
LOCVM ORDO CIVITATIS VDSSLBR DED (*Viducasium libenter dedit pedum.*)
P XXVIIII AN PIO ET PROCVL · COS

Ad dextrum latus.

EXEMPLVM EPISTVLAE AEDINI
Iuliani Praefecti PRAET
ad Badium COMNIANVM P ....
... VICE PRAESIDIS AGENtem
Aedinius IVLIANVS BADIO
COMNIANO SAL IN PROVINCIA
LVGDVNES QVINQVE FASCALI
(*Fiscalia* (h.e. tributa) *cum agerem*, aut *exigerem.*)
..... EREM PLEROSQVE BONOS
VIROS PERSPEXI INTER QVOS
SOLEMNEM ORIVNDVM
EX CIVITATE VIDVC SACERDOTEM
QVEM PROPTER SECTAM GRAVITATEM
ET HONESTOS MORES AMARE COEPI
HIS ACCEDIT QVOD CVM CL PAVLIN
DECESSORI MEO IN CONCILIO
GALLIARVM INSTINCTV QVORVMDAM

QVI

QVI AB EO PROPTER MERITA SVA
LAEDI
VIDEBANTVR QVASI EX CONSENSV
PR (*Provinciæ*)
ACCVSATIONEM INSTITVERE TEN-
TARVNT
SOLLEMNIS ISTE MEVS PROPOSITO
EORVM
RESTITIT PROVOCATIONE SCILICET'
INTER
IECTA QVOD PATRIA EIVS CVM IN-
TER CETEROS
LEGATVM EVM CREASSET NIHIL DE
ACCVSA
TIONE MANDASSENT IMMO CONTRA
LAVDAS
SENT QVA RATIONE EFFECTVM EST
VT OMNES
AB ACCVSATIONEM DESISTERENT
QVEM
MAGIS MAGISQVE AMARE ET COM-
PROBARE
COEPI IS CERTVS HONORIS MEI
ERG .....
AD VIDENDVM ME IN VRBEM VE-
NIT
PROFICISCENS PETIT VT EVM TIBI
COMMENDAREM RECTE ITAQVE FE-
CERIS SI
DESIDERIO ILLIVS ADNVERIS ET R
(*Et reliqua*)

In

In latere sinistro.

EXEMPLVM EPISTVLAE CL
PAVLINI LEG AVG PRPR PROV
BRITANNIAE AD SENNIVM SOLLEM
NEM .. ATAM PO ...
(*Spon. legit* datam Romæ.)
LICET PLVRA MERENTI TIBI ....
A ME PAVCA TAMEN QVONIAM
HONORIS CAVSA OFFERVNTVR
VELIM ACCIPIAS LIBENTER
CHLAMIDEM CANV .. NAM
(*leg. Canusinam. Laodicenam*).
DALMATICAM LAODIC FIBVLAM
AVREAM CVM GEMMIS RACENAS
DVAS TOSSIAM BRIT PELLEM VITV
LI MARINI SEMESTRIS ALTERAM
EPISTVLAM
VBI PROPEDIEM VACARE COEpERO
MITTAM CVIVS MILITIAE SALARIVM
DE STIS XXV N IN AVRO SVSCipe
(*Sestertiis nummum.*)
DIS FAVENTIBVS ET MAIESTATE
SANCTA
IMP DEINCEPS PRO MERITIS
ADFECTIONIS MAGIS DIGNA
CONSECVTVRVS CONCORD
(*f. Concordat.*)

EPI-

EPISTOLA XVII.

P. JOSEPHO TOURNEMINIO

SC. MAFF.

S. P. D. { *VI Kal. Mart. an.* MDCCXXXIII. *Parisiis.*

Lepidula profecto ac singularis est, quam ad me perhumano epistolio inclusam, atque ex eleganti, quam possides, marmorea capsula descriptam, epigraphem mittis:

D M
SVLPITIO
NOTO
ADESTE
SVPERI

Fuisse apparet inter Ethinos, quibus *ipse pater Pluton*, *Virg.* ceterique inferi sorderent dii, Sulpitio siquidem ex vivis sublato ut faveant, Cœlicolæ advocantur, & *supera alta tenentes*. Quos potissimum his diebus in hac urbe maxima titulos exscripserim, petis: hunc in primis ex em. Cardinalis de Polignac thesauro, urnæ consimili insculptum:

MANIBVS
L. ABVCCI POTHI VERNAE
ABVCCIAE ARISCVLAE L

Ser-

Servum conspicis, quem *tria nomina nobiliorum* decorant; sed locum a Fabreto jam pertractatum nosti, adnotante *Ins. pag.* 347, vernas *in sinu herili altos atque educatos* etiam post libertatem adeptam honestioris servitii titulum interdum retinuisse. Hinc Pothus noster Verna, & Abucciæ libertus eodem tempore denominantur; quod & Valerio accidit in Inscriptione, quæ ad bibliothecam pp. Benedictinorum s. Germani visitur;

D M
VALERIO
VERNAE
OPTIMO ET
FIDELISSI
MO LIB VAL
EFFICAX ET
AGATYCH

In eodem loco, quem cum ob ipsos patres doctissimos, tum ob præstantissima volumina libenter frequento, quæ ii summa humanitate & maxime rei literariæ beneficio publico usui permittunt, hanc quoque marmoream tabellam vidi:

COLLEGIVM
SILVANI REST
ITVERVNT. M.
AVRELIVS AVG.

LIB HILARVS
ET MAGNVS CRYP
TARIVS CVRATORES

Nullum aliud, quod meminerim, religiosæ sodalitatis restitutæ mihi unquam monumentum occurrerat. Lapides habes e Romuleo solo huc advectos: aliquos subdam ad regiam Inscriptionum academiam pertinentes, qui Græcis olim insederunt oris, longiusque sunt iter emensi.

ΑΒΑΥΔΗΝΟΙ
ΤΟΝ ΑΥΤΩΝ ΣΩΤΗΡΑ
ΚΑΙ ΚΤΙΣΤΗΝ
ΔΙΑ ΠΡΕΣΒΕΥΤΟΥ
ΜΑΡΚΕΛΛΟΥ ΜΑΙΟΡΟΣ

ΑΥΞΗΣΙΣ ΑΝΔΡΕΟΥ
ΧΡΗΣΤΗ ΧΑΙΡΕ

ΦΙΛΟΚΑΡΗΣ ΤΙΜΑΓΟΡΑΣ
ΦΙΛΟΝΙΔΟΥ ΗΦΑΙΣΤΟΛΩΡΟΥ
ΚΕΦΙΣΙΕΥΣ

ΜΟΣΧΕ ΜΟΣΧΟΥ ΧΑΙΡΕ

Quid

Quid in hisce sit præcipue titulis animadvertendum, tibi sanę indicare haud pergam, qui antiquitatis indagator perpetuo fuisti solertissimus. Postremis tribus imagines, & sculptæ sociantur figuræ sepulcralibus Græcorum monumentis consuetæ. Te rursus conveniam, quam primum potero, nihil enim me magis recreat quam eloquentia tua humanarum divinarumque rerum notitia mirum in modum referta. Incolumem bonorum dator te præstet.

EPISTOLA XIX.

ALEXIO MAZOCHIO Can.

SC. MAFF.

S. P. D. { *Kal. Febr. an.* MDCCXXXIII. *Parisiis.*

Tametsi, postquam eximium tuum de capuano Amphitheatro commentarium perhumaniter ad me misisti, nullum pene inter nos commercium intercesserit literarum; nihilominus cum inter bonos etiam sine literarum frequentia amicitia vigeat, cumque optime norim, quantum vetustioribus monumentis gaudeas, atque oblecteris; te potissimum seligo, quicum Inscriptionem communicem, inter antiquissimas usquam gentium visas plane computandum; centum enim circitér ante Alexandrum annos, quatuorque cum dimidio ante Christum natum secula exaratam facile intelliges. Cl. p. Montfauconius, nunquam nisi honoris causa nominandus, magnum nobis, ut horatiana phrasi utar, eiusdem desiderium incussit, cum lemma, ac versum priorem edidit, ulterius nequaquam progressus, quod in eo præclaro volumine aliud ageret *Palæogr. p.* 135. Postremam monumenti partem vulgavit Sponius, sed diminute, & admodum corrupte. Tabulæ sunt marmoreæ duæ, quæ nunc in regiæ Inscriptionum academiæ museo simul cum aliis eiusdem

ge-

generis reliquiis servantur. Tres fuerunt quidem, cum eas Athenis Sponius inspexit *Misc. p.* 315; sed earum unam, aut forte plures, malus aliquis Genius abstulit, ac subripuit. In his lapideis tabulis, atheniensis reipublicæ jussu, eorum qui pro patria in expeditionibus variis paulo ante occubuerant, nomina incisa sunt. Ut gloriæ stimulis virtutem ex omnium animis elicerent, ita consueverunt Græci benemerentium memoriæ, eorumdemque perpetuis laudibus consulere; vetustis siquidem ætatibus cantica, & laudationes non nisi pro patria interfectis dicari solebant; quod Spartæ quoque ex Lycurgi instituto, factitatum, Plutarchus docet: ἔπαινοι ἦσαν ὡς τὰ πολλὰ τῶν τεθνηκότων ὑπὲρ τῆς Σπάρτης.

Nomina quidem partite recensentur, & suis tribubus reddita, initio ita constituto: Ερεχθεΐδος οἵδε ἐν τῷ πολέμῳ ἀπέθανον ἐν Κύπρῳ, ἐν Αἰγύπτῳ, ἐν Φοινίκῃ, ἐν Αλιεῦσιν, ἐν Αἰγίνῃ. Μέγαρος ἐν τῷ αὐτῷ ἐνιαυτῷ στρατηγῶν, Φρύταρχος, &c. *Ex Erechteide tribu hi belligerantes interierunt in Cypro, in Ægypto, in Phœnicia, in Haliensibus, in Ægina.* Peloponnesiaci belli, & Cimonis, ac Themistoclis tempora confestim odoraris; memorant siquidem Thucydides *Lib.* 1. *in Cim.*, ac Plutarchus Atheniensium expeditiones, & prælia in Ægypto, in Cypro, ad Ἁλίας, ad Æginam insulam, & contra Phœnices. Halias fuisse opinor ad argolicum sinum, Strabo enim de Hermione oppido sermonem habens *Lib.* 8.

eius oram maritimam ab iis teneri dicit, qui Halienses dicebantur: ἧς τὴν παραλίαν ἔχουσιν Ἁλιεῖς λεγομένοι. In columna nominum prima abrasæ prorsus, & a multo quidem tempore literæ priores sunt. Ibi si nomen fuit in πτόν desinens, præire dicemus vita functis omnibus *Megarum*, & eodem anno qui consequuntur occubuisse. At si in columnæ capite non aliquod nomen fuit, sed στρατηγῶν *exercitum ducens*; Megarum docemur eodem anno, quo simul cum descriptis interiit, copias alicubi duxisse. Ita in subsequenti nominum serie præmittitur ceteris Στρατηγὸς ἐν Αἰγύπτῳ Ἱπποδόμας: quibusdam etiam militiæ genus adponitur; *Sagitarii Phirinus*, *Taurus*, &c. aut officium; *Trierarchus*, *Phylarchus*. In Plutarchi tamen Crasso, & in Plutarchum exscribentis Appiani Parthicis *Plut. p.* 562, viri docti fuere qui ambigerent, utrum vox στρατηγῶν ante ὁ Ἀνδρόμαχος pro nomine haberi debeat, an pro participio. Ex qua tribu prolixior esset catalogus, ignoramus, quod secunda tabula acephala sit; sed in eadem recensentur aliqui ex Leontide, ex Acamantide, ex Oeneide, ex Cecropide, ex Hippothontide: in illa, quæ evanuit, nec Lutetiam Parisiorum pervenit, plures viderat Sponius ex tribu Pandionide consignatos, inter quos ΚΑΛΛΙΧΣΕΝΟΣ, ΧΣΕΝΥΛΛΟΣ, ΗΙΠΠΟΔΑΜΑΣ, ΗΙΕΡΟΝΥΜΟΣ, ΧΣΕΝΟΦΙΛΟΣ, ΕΡΧΣΙΜΕΝΕΣ, ΗΥΠΕΛΕΙΟΣ, ΔΙΟΝ, ΑΝΤΙΦΟΝ, ΧΣΕΝΟΚΛΕΣ. Haud procul a Sponia-

nianæ initio ΕΡΕΤΡΙΕΥΣ nominis vice esse, non patriæ puto, Atticis enim tantummodo heic erat locus; quapropter perperam Sponius, & contra marmoris fidem, id extra nominum ordinem posuit, & ad Callippi latus adnexuit.

Orthographia, & literarum forma in vetustis adeo tabulis præsertim consideranda est; scias enim in utroque pro Γ constanter haberi Λ, quod alibi visum esse non credo: id Sponius nequaquam assequutus multa nomina pervertit, atque corrupit: in utraque Γ est, & Π ut in aliis multis, prætereaque V pro Λ. Item in utraque (ita erat & in deperdita) vocales longæ desiderantur, E & O ubique adhibitis. H videas quidem pluries, sed spiritus loco, ut apud Latinos. Pro Ξ semper est ΧΣ, ut in Latinis sæpe VXSOR, &c. In Atheniensi, quam exhibet Palæographiæ liber *pag.* 48, versu XII scribitur in marmore ΣΕΞ-ΣΤΟΣ, ut nuper vidi. At Ψ in nostris nunquam conspicitur, in ultimo enim primi lapidis nomine ΑΛ pro ΑΓ perspicue habetur, non ΑΨ. Jota iis locis adponere, ubi deinde subscribi ab amanuensibus cœpit, non iste solum, sed omnes fere boni ævi lapides consuevere; ΕΙ pariter aliquando adhibere pro η. Singulare heic quidem est punctis tribus verba distinguere, cum ceteroquin Inscriptiones Græcæ interstitia ut plurimum designent nulla, sed uno ductu, ac tenore, velut unico constarent verbo, sæpe prozedant. Sed in priori insuper tabula P & Σ hac specie figurantur ⟨

5. ad latinas accedentes, & Plinii testimonium firmantes *L.* 7. *c.* 58. Φ quoque pro Φ. Qui ad nimia ob variam literarum figuram sibi mysteria fingenda proclives sunt, ob trium harum in una & altera differentiam diversæ statim ætati istas tabulas adsignabunt; cum certo certius unum & idem monumentum componant, quamvis a diverso forsan artifice incisæ; neque enim in tot terra marique bella ex una tantum Erechteide tribu homines profecto fuerant missi. Hoc & eadem prorsus ambarum forma, & aspectus docet, & argumentum idem, & orthographiæ ratio. Propterea id præsertim animadvertas velim, quod non dum animadversum est; tabulas nempe eodem tempore, & loco scalptas easdem literas diversissima forma exhibere. Quin, ut altercationibus omnem aditum obstruamus, sciendum est, in ipso priori lapide, in quo 5 depingitur, sub finem ad nomina ΤΑΥΡΟΣ, & ΦΡΙΝΟΣ adhiberi Σ: in eodem rursus lapide N habetur centies, tamen in nominibus ΦΡΙΝΟΣ, & ΑΝΔΡΟΣΘΕΝΕΣ ter hac figura apparet η, quam in etruscis monumentis sæpe deprehendimus. Observandum etiam in duobus primis versibus tria puncta interponi verbis, & dandi casibus iota adiungi, in tertio vero nequaquam. Documento hæc sint, quam incertas interdum & vanas nobis creemus regulas, & quam cautos in judicando præstare nos debeamus. Hæc habui quæ de hoc parisiensi monumento præclarissimo tecum conferrem. Da operam ut valeas. EPE-

ΕΡΕΧΘΕΙΔΟΣ

ΗΟΙΔΕ: ΕΝΤΟΙ: ΠΟΛΕΜΟΙ: ΑΠΕΘΑ-
ΝΟΝ: ΕΝΚΥΠΡΟΙ: ΕΝ ΑΙΓΥΠΤΟΙ:
ΕΝΦΟΙΝΙΚΕΙ: ΕΝΑΛΙΕΥΣΙΝ:
ΕΝΑΙΓΙΝΕΙ: ΜΕΓΑΡΟΣ
ΕΝ ΤΟ ΑΥΤΟ ΕΝΙΑΥΤΟ

. . . . ΤΕΓΟΝ
Φ . . . . ΧΟΣ
Π . . . ΑΛΕΟΝ
. . . ΥΣΤΡΑΤΟΣ
ΑΚΟΝΤΙΔΕΣ
. . ΜΟΣΤΑΡΑΤΟΣ
. . ΜΕΑΣ . . .
. . . ΛΕΙΔΕΣ
. . . ΡΑΤΕΣ
. . . ΡΕΔΕΜΟΣ
. . . . ΕΣΙΑΣ
. . . ΣΑΝΔΡΟΣ
. . ΡΟΦ . . . .
ΑΠΟΛΛΟΔΟΡΟΣ
ΑΡΙΣΤΟΤΕΛΕΣ
ΚΟΤΙΑΣ
. . . . ΙΑΛΟΣ
. . ΕΧΑΝΙΟΝ
. . . ΛΙΣΤΙΔΕΣ
ΤΙΜΟΓΕΝΕΣ
ΑΡΙΣΑΝΔΡΟΣ
ΜΕΝΕΚΛΕΣ
ΜΕΛΑΝΟΡΟΣ
ΚΛΕΟΜΒΡΟΤΟΣ

ΑΡΙΣΤΟΚΛΕΙΔΕΣ
ΘΟΚΙΔΙΔΕΣ
ΕΥΘΥΔΕΜΟΣ
ΚΑΛΛΙΚΡΑΤΕΣ
. . . ΣΕΦΕΣ
ΦΑΝΥΛΛΟΣ
ΧΙ . . . ΝΙΟΣ
Ε . . . ΕΙΤΟΝ
Γ . . . ΚΙΠΠΟΣ
ΛΥΣΙΚΛΕΣ
ΚΕΛΕΥΣΟΣ
ΕΥΘΥΔΕΜΟΣ
ΔΙΝΑΙΟΣ
ΟΙΛΙΝΟΣ
ΚΑΛΛΙΚΛΕΣ
ΝΑΥΣΙΚΛΕΣ
. . . ΜΕΣΙΘΕΟΣ
. . ΝΕΣΙΓΕΝΕΣ
ΠΟΛΥΚΛΕΣ
ΑΛΕΞΙΑΣ
ΑΜΥΔΡΙΠΠΟΣ
ΑΠΟΛΛΟΔΟΡΟΣ
ΓΟΡΓΙΑΣ
Ν . . ΘΑΡΧΟΣ

ΠΑΡΜΟΝΙΔΕC
ΕΑΚΟΝ
ΠΙΘΟΝ
ΛΥΣΙΑC
ΣΟΣΤΡΑΤΟC
ΦΙΛΙΝΟC
ΦΙΛΑΙΘΟC
ΦΙΛΕΤΑΙΡΟC
ΣΟΤΕΛΕC
ΛΥΣΙΑC
ΑΚΡΥΠΤΟC
ΤΙΜΟΚΡΑΤΕC
ΑΡΚΕΛΑC
ΕΥΘΥΚΡΑΤΕC
ΠΑΤΡΟΚΛΕΙΔΕC
ΑΛΚΜΕΟΝΙΔΕC
ΓΛΑΥΚΟΝ
ΔΕΜΟΝΙΚΟC
ΑΝΑΧΣΙΔΟΡΟC
ΓΛΑΥΚΟΝ
ΠΡΟΚΛΕC
ΑΝΤΙΘΟΝ
ΑΝΑΧΣΙΛΑC
ΑΡΧΕΠΟΛΙC
ΚΑΛΛΕΑC
ΘΑΛΛΙΑΡΧΟC
ΦΙΛΟΝΙΧΟC
ΕΥΚΛΕΙΔΕC
ΔΙΟΔΟΡΟC
ΝΙΚΑΡΧΟC
ΕΠΙΤΕΛΕC
ΚΥΒΟΝ

Χ . . ΙΡΙΑC
ΔΕΜΕΤΡΙΟC
ΑΡΧΕΣΙΛΑC
ΕΥΘΟΙΝΟC
ΔΕΜΕΤΡΙΟC
ΓΟΡΓΟΝ
ΣΤΡΑΤΟΝ
ΑΡΙΣΤΕΙΔΕΣ
ΙΣΟΔΕΜΟC
ΚΕΦΙΣΟΔΟΤΟC
. . . ΟΙΛΟC
. . ΤΙΜΕΝΕC
. . . ΠΑΙΝΕΤΟC
. . . . ΡΓΑΙΟC
ΔΙΟΓΕΝΕC
ΟΡΥΝΟC
. . ΤΕΣΙΑΔΕC
. . ΟΡΟΙ . . . ΟC
. . ΡΑΤΥΛΛΟC
. . ΥΝΦΕΡΜΙΟC
ΝΙΚΙΑC
ΑΥΣΙΚΛΕΙΔΕC
. . . ΟΥΡΑΡΧΟC
ΧΑ . . . ΑΝΔΡΟC
. . . . ΙΑΡΑΤΟC
. . . . . ΟC
. . . . ΟΙΛΟC
ΣΟΣΙΑC
ΑΡΧΙ . . . ΟC
ΛΥΚΙΝΟC
ΚΑΛΛΙΑC
ΜΝΕΣΙΜΕΝΕC

ΣΙΚΟΝ
ΑΜΦΙ . . . ΕΔΕC
ΧΣΕΝΤΛΛΟC
ΑΡΙΣΤΟΓΕΝΕC
ΦΙΛΙΝΟC
ΔΙΟΤΙΜΟC
ΚΛΛΛΟΝΙΔΕC
ΚΑΛΛΙΧΣΕΝΟC
ΔΕΙΝΙΑC
ΣΝΙΚΥΘΟC
ΤΙΜΟΔΕΜΟC
ΛΥΣΙC
ΑΚΕΣΙΑC
ΕΠΙΧΑΡΕC
ΗΙΕΡΟΝΙΜΟC
ΑΝΑΧΣΙΛΑC
ΧΑΙΡΙΑC
ΗΕΡΑΚΛΕΙΔΕC
. . ΑΣΙΚΛΕC
ΑΛΚΑC
ΚΕΦΙΣΟΔΟΤΟC
ΚΑΛΛΙΚΛΕC
ΚΕΦΙΣΟΔΟΡΟC
ΝΟΜΕΝΙΟC
ΧΣΕΝΟΦΙΛΟC
ΗΥΠΕΡΛΙΟC
ΗΑΓΝΟΝ
ΠΟΛΥΧΣΕΝΟC
ΕΡΧΣΙΜΕΝΕC

ΝΙΚΟΝ
ΑΡΙΣΤΟΦΑΝΕC
ΓΛΑΥΚΟΝ
ΦΥΣ . . . ΙΔΕC
ΗΑΓΑΘΟΔΕΜΟC
ΔΙΟΚΛΕC
ΦΑΝΟCΤΡΑΤΟC
ΕΥΜΕΝΙΟC
ΘΕΟΔΟΡΟC
. . . ΥΛΕΟC
. . . . . ΑΟΝ
. . . ΙΧΑΡΕC
. . ΔΟΧCΟC
ΠΟΛΥΞΕΛΟC
ΓΛΑΥΚΙΑC
ΕΠΙΓΕΝΕC
ΑΝΤΙΧΑΡΕC
ΦΙΛΙCΤΙΔΕC
ΑΜΦΙΚΛΕΙΔΕC
ΦΡΟΥΡΟC
ΤΙΤΟΝ
ΕΥΛΙΟC
ΚΑΛΛΙΒΙΟC
CΜΙΚΡΟC
ΝΕΑΙΟC
ΕΡΓΟΤΕC
ΦΟΚΙΟΝ
ΑΚΑ . . . . Θ . . .

ΣΤΡΑΤΕΓΟΣ. ΕΝ ΑΙΓΥΠΤΟΙ

ΗΙΠΠΟΔΑΜΑΣ
ΕΝΘΥΜΑΧΟΣ
ΤΕΛΕΝΙΚΟΣ
ΜΑΝΤΙΣ
ΕΥΜΕΛΟΣ
ΑΝΔΡΟΣΘΕΝΕΣ
ΤΟΞΣΟΤΑΙ ΦΡΙΝΟΣ
ΤΑΥΡΟΣ
ΘΕΟΔΟΡΟΣ
ΑΛΕΞΣΙΜΑΧΟΣ

. . . . . .

ΛΥΚΙΝΟΣ
ΑΡΧΙΑΣ
ΦΟΚΙΟΝ ΤΡΙΕ
ΘΟΚΥΔΙΔΕΣ
ΑΝΔΡΩΝ
ΘΕΟΔΟΤΟΣ
ΛΥΣΙΜΑΧΙΔΕΣ
ΠΥΡΡΑΝΔΡΟΣ
ΒΛΕΠΥΡΟΣ
ΤΙΜΟΔΕΜΟΣ
ΧΑΡΙΑΔΕΣ
ΛΥΣΙΣ
ΚΑΛΛΙΠΠΟΣ
ΕΡΕΤΡΙΕΥΣ
ΑΝΤΙΜΑΧΟΣ
ΚΕΦΙΣΟΔΟΤΟΣ
ΑΝΤΙΚΛΕΙΔΕΣ
ΕΥΦΡΑΝΟΡΙΔΕΣ

ΠΟΣΕΙΔΙΠΠΟΣ
ΕΠΙΔΕΘΕΣ
ΜΝΕΣΙΚΡΑΤΕΣ
ΜΙΜΝΟΝ
ΘΕΟΓΕΝΕΣ
ΑΘΕΝΟΔΟΡΟΣ
ΑΜΦΙΑΝΑΞ
ΣΟΣΡΑΤΟΣ
. . . . . .
ΚΑ . . . . . .
ΠΤΟ . . . . . .
ΝΙΚΟ . . . . . .
ΝΙΚΟ . . . . . .
ΚΤΕΣ . . . . . .
ΑΥΧ . . . . . .
ΛΥΣΙΜΑΧΟΣ
ΦΙΛΟ
ΠΙΝΔΑΡΟΣ

ΧΑ-

ΧΑΡΙΔΕΜΟC
ΣΟΚΡΑΤΙΔΕC
ΑΡΙΣΤΟΚΡΑΤΕC
ΔΙΟΦΑΝΕC
ΜΕΝΕΚΛΕC
ΑΡΙΣΤΑΡΧΟC
ΣΟΣΙΠΠΟC
ΑΙΣΧΥΛΙΔΕC
ΕΦΙΑΛΤΕC
ΑΛΚΑΜΕΝΕC
ΦΙΛΕΑC
ΠΑΥΣΑΝΙΑC
. . . . . .
. . . . . .
. . . . . .
. . . . . .
. . . . . .
. . . . . .
. . . . . .
. . . . . .
. . . . . .
. . . . . .
. . . . . .
. . . . . .
. . . . . .
. . . . . .
Χ . . . . . .

Ν . . . . . .
ΟΝ . . . . . .
ΔΕΜΟ . . . . .
ΑΝΑΧC . . . .
ΦΙΛΟΝ . . . . .
. . ΣΤΙΑ . . . .
ΜΕΝ . . . ΟC
ΛΕΟΝΤΙΔΟC
ΑΡΙΣΤΙΔΕC
ΠΑΡ . . . ΒΑΤΕC
ΕΥΦΑΝΕC
ΑΡΧΙΚΛΕC
ΦΑΝΟΚΛΕΙΔΕC
ΕΥΕΡΓΙΔΕC
ΑΡΙΣΤΟΝΤΜΟC
ΚΕΦΙΣΟΔΟΡΟC
ΘΕΟΦΑΝΕC
ΟΦΣΙΑΔΕC
ΝΙΚΙΑΔΕC
ΚΑΛΛΙΤΕΛΕC
ΣΑΤΥΡΟC
ΑΡΙΣΤΥΛΛΟC
ΕΡΓΟΤΙΜΟC
ΕΥΦΙΛΕΤΟC
ΕΠΙΔΡΟΜΟC
ΛΥΚΕΑΣΤΡΙΕ
ΤΛΕΣΟΝΙΔΕC
ΑΡΙΣΤΑΡΧΟC
ΕΥΦΡΑΟΡ
ΑΥΤΟΚΡΑΤΕC
ΑΡΙΣΤΟΜΕΔΕC
ΛΥΣΙΦΑΝΕC

ΚΑΛΛΙΦΟΝ
ΑΝΤΙΚΛΕΣ
ΚΑΛΛΙΑΣ
ΕΥΠΟΛΙΣ
ΑΝΤΙΦΑΝΤΟΣ
ΓΟΡΔΟΣ
ΣΟΤΙΜΟΣ
ΑΡΙΣΤΟΚΛΕΣ
ΑΠΟΛΛΟΔΟΡΟΣ
ΕΥΘΥΚΛΕΙΔΕΣ
ΑΡΧΕΣΤΡΑΤΟΣ
ΑΜΕΝΙΤΟΣ
ΚΑΛΛΙΘΑΛΕΣ
ΝΕ . . . ΕΙΔΕΣ
ΠΑΝΘΑΡΟΣ
ΕΣΙ . . . ΧΟΣ
ΦΙΛΙΠΠΟΣ
ΤΙΜΟΚΡΑΤΕΣ
ΘΕΟΚΡΙΤΟΣ
ΜΝΕΣΙΚΡΑΤΕΣ
ΠΕΡΙΚΛΕΣ
ΑΝΤΙΔΟΤΟΣ
ΘΕΟΦΑΝΕΣ
ΘΕΟΓΝΕΤΟΣ
ΛΥΣΙΜΑΧΟΣ
ΑΡΙΣΤΟΚΛΕΣ
ΑΔΕΙΜΑΝΤΟΣ
ΦΙΛΟΔΕΜΟΣ
ΧΣΕΝΟΧΑΡΕΣ
ΠΑΥΣΑΝΙΑΣ
ΧΑΡΙΝΟΣ
ΚΑΛΛΙΦΟΝ

ΝΙΚΙΑΣ
ΚΑΛΛΙΑΣ
ΦΙΛΕΑΣ
ΑΝΤΙΧΑΡΕΣ
ΕΥΘΟΙΝΟΣ
ΧΑΙΡΕΣΤΡΑΤΟΣ
ΔΙΦΙΛΟΣ
ΑΡΙΣΤΑΡΧΟΣ
ΗΓΝΟΝ
ΣΜΥΚΥΘΟΣ
ΚΤΕΣΙΦΩΝ
ΕΠΙΛΥΣΑΜΕΝΟΣ
ΧΑΛ . . . ΟΝ
ΧΑΙΡΕΣΤΡΑΤΟΣ
ΦΥΣΙ . . . ΟΣΔΙΟΚΛ . .
ΑΡΧΕΔΑΜΑΣ
ΛΥΣΙΣΤΡΑΤΟΣ
ΠΟΛΥΚΡΑΤΕΣ
ΝΙΚΟΚΛΕΣ
ΑΚΑΜΑΝΤΙΔΟΣ
ΟΛΥΝΠΙΑΔΟΣ
ΑΥΤΟΜΑΘΕΣ
ΛΕΟΝΙΔΕΣ
ΔΕΜΕΤΡΙΟΣ
ΡΙΝΩΝ
ΑΛΕΞΙΠΠΟΣ
ΑΡΧΙΑΣ
ΧΑΙΡΕΦΩΝ
ΟΙΝΕΙΔΟΣ
ΔΙΟΚΛΕΙΔΕΣ
ΑΜΕΙΝΟΚΡΑΤΕΣ
ΤΙΜΟΘΕΟΣ

ΚΕΚΡΟΠΙΔΟC	ΣΙΛΑΝΟC
ΤΕΛΕΣΕΓΟΡΟC	ΗΙΠΠΟΝ
ΣΑΤΥΡΟC	ΠΥΘΟΔΟΡΟC
ΔΙΕΙΤΡΕΦΕC	ΗΑΓΝΟCΤΡΑΤΟC
ΛΕΟΧΑΡΕC	. . . . MACOC
ΔΟΡΟΘΕΟC	. . . . .
ΑΡΧΙΑC	ΜΝΕΣΙΚΛΕC
ΠΡΟΜΑΧΟC	. . . . .
ΗΙΠΠΟΘΟΝΤΙΔΟC	. . . . .
ΠΥΘΟΔΟΡΟΣ ΦΥ-	. . . . .
ΛΑΡΧ	. . . . .
ΦΑΝΟΚΛΕC	ΑΙCΙΜΙΔΕC
ΦΙΛΟΝ	COCIMAXOC
ΔΕΙΝΙΑC	ΠΡΟΜΑΧΟC
ΣΑΕΥCΟΝ	. . . . .
ΑΝΤΙΑC	. . . . .
. . . . .	

EPI-

EPISTOLA XX.

DOMINICO RIVIERÆ

SACRI CONSILII A SECRETIS

SC. MAFF.

S. P. D. { *III. Non. Febr. an.* MDCCXXXIII. *Parisiis.*

Sicuti ad officium erga te meum pertinere putavi, ut ne ex Italia proficiscerer, antequam de discessu renunciarem tibi; ita de adventu in hanc urbem maximam te certiorem facere, minime prætermittendum mihi esse duco. Multo quidem tardius quam putaram, & quam constitueram, optatissimum hunc terminum licuit attingere, & in oppidis pluribus, & in vicis etiam quandoque, commoratio absumsit. Eo me adegit mira antiquitatis indagandæ voluptas, & veterum copia, ac fortunata interdum desectio. Eorum specimen quoddam, ne forte me tamquam inutili cupiditate flagrantem damnes, ad te mitto, atque huic epistolæ adiungo. Non deerunt profecto, qui minus apte, minusque opportune fieri opinentur, ut his literati otii argumentis, vacuique animi delectamentis ac deliciis virum interpellare sit qui audeat, primariis ac summis romanæ curiæ muneribus occupatissimum, maximisque perpetuo negotiis implicitum, atque

que impeditum. Sed qui ita sentiat, perleviter sane te noverit: secus enim facile cogitabit, qui te ita perfectum habeat, ac ego jam a vividioribus annis habeo: ab illis dico, quum Romæ florente utrisque ætate, nihil aliud quam poeticas nugas meditantem, easque ipsas corrupte, ut ferebant tempora, & in transapenninis regionibus etiamnum moris erat, cum ad saniora, maioraque studia hortabaris, tum quod ad poesiam attinet, a devio tramite revocasti, optimisque indicatis auctoribus, Dante præsertim, cuius annum agens XXIV vix nomen audieram, reluctantem quamvis aliquandiu, & in mala causa prius effutientem, ad meliorem frugem traduxisti. Ingenii tui præstantiam, singularemque doctrinam cum prudentia summa, atque animi candorem conjunctam tantopere tunc admirabar, ut minus postea miratus sim, te inter varia maximique momenti munera, quæ tibi continenter injuncta sunt, optimorum librorum lectionem intermisisse nunquam, & prisca gravitate, atque elegantia, cum italice, tum latine plura scripsisse, quæ non sine publico detrimento occultas, scriniisque damnas tenebricosi. Nihil ergo est quod verear, te has Inscriptiones non libentissime excepturum, ac perlecturum esse; eoque magis, quo christianas selegi, ut pietatem quoque demerear tuam. Non ineditas tantummodo, ut ceteroquin soleo, heic tibi epigraphes congero, sed præstantiores id genus quascumque in hoc iti-

itinere (priore excepta) collegerim: sunt enim quæ inemendate prodierint, sunt quas libri contineant, qui communiter non sunt ad manum.

I. Veronæ.

DACIANA DIACONISSA
QVE V. AN. XXXXV. M. III.
ET. FVIT. F. PALMATI. COS
ET. SOROR. VICTORINI. PRESBRI
ET. MVLTA. PROPHETAVIT
CVM. FLACCA. ALVMNA
.... V. A. XV. DEPOSITA. IN. PACE.
III. ID. A ...

II. Augustoduni.

EVFRONIA. EV ....
FILIA. ET. M.....
NAVFRAGIO.....
NECTA. NAT.....
PRI. KAL. NOV.
PERCEPIT
III ID APRIL
DECESSIT
PRI KAL MAI

III. Arelate ex ms. Præs. Mazaugues.

VIR AGRIPINENSIS N̄OIE GEMINVS
HIC IACET QVI POST DIGNITATEM
PRAESIDATVS ADMINISTRATOR
RATIONVM
NOVEM PROVINCIARVM DIGNVS
EST
HABITVS HIC POST ANNOS XXXVIII
M̄ II D. V̄I FIDELIS IN FATA
CONCESSIT
CVIVS INSIGNEM GLORIAM CIVES
SVI SEPVLCHRI GRATIA ADORNAVER

IV. Arel. ap. PP. Minimm.

PAX VOBISCVM
SIT PROCVLEIA
LAMPADIA
ET RENATE

V. Ibidem.

PAX TE CVM
IVLIAE VALERIAE SERENIL
LE CONIVGI INCOMPARA
BILI L SEPTIMIVS PRIMITI
VS CVM QVA VIXIT AN
NIS XVIIII DIES XXXVIII
MERENTI POSVIT

VI. Ibidem.

HIC DOR
MIT IN PACE SECVNDA
QVAE VIXIT ANNOS XII ET
MENSES VIII DIES
XXII DEPOSITA VI ID
VS MARTIAS PAREN
TES FILIAE DVLCISSIMAE

VII. Aostæ in Delphinatu.

HIC REQVIESCIT IN PACE
BEATAE. MEMORIAE
EVSEBIA. SACRA. DNO
PVELLA. CVIVS. PROBA
BILIS VITA. INSTAR
SAPIENTIVM PVELLA
RVM SPONSVM EMERVIT
HABERE XPM
CVM QVO ....

VIII.

VIII. Viennæ ad s. Petri.

IFOEDVLA QVAE MVNDVM DOMINO
MISERANTE
RELIQVIT HOC IACET IN TVMVLO
QVEM
DEDIT ALMA FIDES MARTINI
QVONDAM
PROCERIS SVB DEXTERA TINTA
CRIMINA
DEPOSVIT FONTE RENATA DEI AD
NVNC
MARTVRIBVS SEDEM TRIBVENTIBVS
APTAM
CERBASIVM PROCEREM PROTASIVMQ
COLIT
EMERITAM REQVIEM TITVLO
SORTITA FIDELI
CONFESS .....

IX. Lugduni ad S. Irenæi.

OPTATO ET PAVLINO CON
VLIBVS KAL FEBRARIS DEPOS
(*an. Chr.* 334.)
SELENTIOSES

X. Ibidem.

IN HOC TOMOLVM
REQVIESCIT IN PA
CE BONE MEMORIAE
SIMPLICIVS QVI VI
XIT ANNOS PLVS MI
NVS XC OBIIT IN PA
CE V K NOVEMB
FELICE VCC
(*an.* 428. *aut* 511.)

XI. In Eccl. PP. Dominicc.

IN HOC TOMOLO REQVI
ESCIT BONÆ MEMORIÆ
SCVRPILLOSA RELIGIOSA
QVÆ VIXIT PLVS MINVS
ANNOS XXXXVIII. OBIIT
IN PACE. PRID. KAL. SEPT
OPILIONE ..... (*an.* 453. *aut* 524)

XII. Lugduni ad S. Irenæi.

. . . . . .
XXV RECESSIT VI
KAL OCTOB DNN
SEVERO ET IORD (*an.* 470.)
ANE VV CC

XIII.

XIII. In vico Briard.

HIC REQVIESCIT
VIR VENERABILIS MANNE
LEVBVSO QVI VIXIT ANNIS LX
MENSIS VI DIES XIII IN VMANE
TATE ET BONITATE MORI
BVS ET CONVERSATIONE
CLARVS OBIIT IN PACE DIE
III IDVS FEBRVARIAS BOETIO
VERO CLARISSIMV CONSVLE
RELIQVIT LIVERTVS IDEST
SCVPILIONE

(*an.* 487. *aut* 510)

XIV. Viennæ ad S. Andr.

IN HOC TVMVLO CONDITVR BONÆ
MEMORIÆ SEVERIANVS QVI
RELIGIONEM
DEVOTA MENTE SVSCEPIT SIC QVEM
ANIMA AD AVTHOREM $\overline{DM}$
REMEANTE TERRENA MEMBRA
TERRIS RELIQVIT EXACTIS VITÆ
ANNIS XXXII OBIIT PRIDIE IDVS
AVGVSTAS RESVRGIT IN $\overline{XPO}$ $\overline{DMO}$
NOSTRO POST CONSVLATO LONGINI
BIS ET FAVSTI (*an.* 491.)

XV. Lugd. ad S. Iren.

IN HOC TVMOLO REQ
VIESCIT BONE MEMO
RIVS CESARIVS VIXI
T ANVS X ... REQVIBITI
N PACE SVB DIE KAL DE
CEMBRIS ANASTASI
O ET RVFN VV CC (*an.* 492).

XVI. In oppido Anse ad Eccl.

GERMINE SVBLIMI PROBA NOMINE
MENTE PROVATA
QVAE SVBITO RAPTA EST HIC TV-
MVLATA IACET
IN QVA QD QVID HABENT CVNCTO-
RVM VOTA PARENTVM
CONTVLERAT TRIBVENS OMNIA PVL-
CHRA DS
HINC MESTVS PATER EST AVIAE
MATRIQVE PERENNIS
. . . . . HEV FACINVS . . . . PERIT
PIETAS
ACCIPE QVI LACRHYMIS PEREVNDIS
IVGETER ORA
MORS NIHIL EST VITAM RESPICE
PERPETVAM
QVAE VIXIT ANNIS V MENSIS VIIII
OBIIT SD III IDS OCTVBRIS PAVLINO
V K (*an.* 498.)

XVII. Lugd. ad S. Iren.

IN HOC TVMVLO REQV
IISCET BONAE MEMO
RIAE THALASIA QVI VI
XIT ANNVS XI
OBIIT IN PACE. ꝗIII
K SEPTEM
BRIS AVIEN
O C V CON (*an.* 501)

XVIII Aquis Sextiis in Eccl. Salv.

HINC IN PACE QVIESCET
ADIVTOR QVI POST
ACCEPTAM PAENITEN
TIAM MIGRAVIT AD DN̄M
AN LXV MENS VII DIES XV
DEPOSITVS S̄D VIIII KAL
IANVAR ANASTASIO VC
CONSVLE (*an.* 537.)

XIX. Aostæ in Delph.

HIC REQVIESCIT
IN PACE BONE ME
MORIE ANIBER
CA QVI VIXIT
ANNOS NVME
RO XXX OBIIT
IN $\overline{\text{XPO}}$ III NONAS
FEBR P C SEMMA (*an.* 523.)
CHI ET BOITHI VVCC

XX. Ibidem.

+ HIC REQVI
ESCIT IN PACE
BONE MEMO
RIAE INGILDVS
QVI VIXIT AN
NIS IIII ET MEN
SIBVS OCTO
OBIIT IN $\overline{\text{XPO}}$
III $\overline{\text{KL}}$ NOVEMBR
TERTIO PC
PAVLINI IVN
$\overline{\text{VCC}}$ (*an.* 517.)

XXI.

XXI. Lugd. ad S. Iren.

IN HOC TVMVLO REQ
VIISCET BONAE MEMOR
IAE NECTERIA QVI VIXIT
ANNOS XXV OBIIT IN
PACE PRIDIE XAL MAIA
S PC IVSTINI (*an.* 541.)

XXII. Lugd. ad S. Iren.

HIC REqVIISCIT
BONE MEMORIAE
PORCARIA qVAE MVNDANA
RELIqVIT ET TRADIDIT ANIMA
DO VIXIT ANNIS XL OBIIT
Ç III K FEB
PC . . . IONIS . .
(*f. OPILIONIS an.* 541.)

XXIII. Aostæ in Delph.

HIC REQVIESCIT IM PACE
BONE MEMORIAE ADVLESCENS
ITEGRE CARNIS NOMINE
LEVDOMARI QVI VIXIT ANN
IS NVMERO IIII. ET DIES VIII
OBIIT IN XPO SEX KMAI
(*sic. an.* 545.)
POST C IV BASILI VV
CCSSCN S

XXIV. Aostæ

+ HIC REQVIESCIT
IN PACE BONE MEMORIE
TEOPTECVNDE QVI
VIXIT ANNOS NVM
X OBIIT IN XO
VI KL DECEMRS NO
VIES P CONS
IOHANNIS V C (an. 547.)

XXV. Viennæ in Eccl. PP. Dominn.

IN HOC TOMOLO QVIESCIT IN PACE
BONAE MEMORIAE FAMOLA DEI
DVLCITIA SANC MOREBVS OPTIMIS
VOLVNTATE DI ..... CHARITATE
LARGISSIMA QVAE VIXIT PLVS
MENVS. ANN. XXXV. OBIIT
IN PACE NON KAL MAIAS
X. P. C. BASILI. V. C. CONS
INDICTIONE QVARTA DECIMA
(an. 551.)

XXVI.

XXVI. Lug. ad S. Iren.

EPYTAFIVM HVNC QVI INTVIS
LECTVR
BONE RECORDACIONIS AGAPI
NEGVCIATORIS
MEMBRIA QVIESCVNT NAM FVIT
ISTE STACIO
MISERIS ET PORTVS EGINIS OMNEBS
APTVS (*Lapertus*)
FVIT PRAECIPVE LOCA SCORVM
ADSE
DVE. ET ELEMOSINAM ET
ORACIONEM
STVDVIT. VIXIT IN PACE ANNS
LXXXV. OB (*an.* 626.)
VIII KAL APRILIS LXI PC IVSTINI
INDICT QVARTA

XXVI. Narbone prope S. Paulli.

A. MCCXXIIII. M. JANVARII
Abbas prole pia progressus ab urbe Papia
Hoc opus adjecit & dirupta tecta refecit
Robaldus Ergo da XPE tanti reparator ut iste
Sit pro mercede Celi tibi vivus in ede

Quan-

Quanta nos lætitia gestire necesse est, cum catholica dogmata, & romanæ religionis instituta antiquis etiam marmoribus insculpta cernimus! *Domino sacra* in his titulis videmus puellam, *quæ sponsum emeruit habere Christum*. Laudatum videmus Agapium, quod *loco Sanctorum assidue* frequentarit, atque *orationem studuerit*. Sacram Gervasii & Protasii ædem Fœdulæ monimento locum videmus dedisse, quæ propterea dicta est eos colere. *Adjutorem* videmus ex titulo prorsus integro, atque intacto, qui *migravit ad Dominum post pœnitentiam acceptam*. Videmur qui *resurgere* dicantur *in Christo Domino*, & qui prophetandi donum in Ecclesia continuatum ostendant; quod enim diaconissa mea *multa prophetarit*, non alio quam prædicendi sensu potest hic accipi. Ea quidem præmittenda Inscriptione supersedere poteram, neque ex Gallia est, neque tibi incomperia, cum Cassiodorii Complexionibus a me jam adpositam videris: sed nobilissimum titulum, quem cum Veronæ sum, in conclavi ob oculos semper habeo, quemque ut aliquando illustrem, multa mihi seposui, tam impense amo, ut ab eximiis eiusdem generis, quos recensui, sejungi noluerim. Mirum est, quam multos adhuc fugiat Cassiodorii opusculum illud, decem abhinc annis a me vulgatum, etiamsi in Anglia statim, deinde & in Hollandia recusum fuerit. De illo nudiustertius pater Tourneminius, quem doctissimum omnes norunt, mecum verba faciens,

sum-

summopere mirari dixit, inventos esse, qui locum quem habet de Tribus Testimoniis Cœlestibus ad quæstionem non facere affirmarint, cum perspicuum omnino ac manifestum ipsi videatur, iugulari ab eo penitus Unitarios, & in vetustissimis romanæ Ecclesiæ codicibus oppugnatum versiculum lectum fuisse, certissime demonstrari.

Ea formula in secundo lapide *percepit III. id April.* Euphroniam illa die sacro fonte tinctam nos docet, ut nosti; vox siquidem *baptismum* subaudiri debet, ut cardinalis Norisius monuit, fastos Anonymi consulares illustrans, & præclarissimum epitaphium referens, in quo dies natalis, baptismatis, atque interitus item adnotatur, baptismi nomine pariter suppresso: id moris ab eo ævo, quo arcani disciplina vigebat, forte originem sumpsit.

In subsequenti novem Provinciarum mentio est animadvertenda, quam non memini alibi occurrere. Nullus dubito, quin de *Novempopulis*; ut d. Hieronymus, & Ausonius, seu de *Novempopulana provincia*, ut Rufus Festus, ac vetus galliarum notitia loquuntur, intelligere oporteat: una siquidem erat Novem provinciarum rationum administratio, quæ Gemino agrippinensi, hoc est ex agrippinensi colonia, fuit commissa. In Fœdulæ epigrammate litera I nomini præmittitur, cuius tamen in pronuntiatu rationem habitam esse nullam, metrum declarat: de hoc usu Bonarrotius noster videndus in præclaro opere de Vitris Cœmeterialibus.

Hæc

Hæc autem epitaphia multi præsertim commendant. *Palmati consulis* qui dacianæ diaconissæ fuit pater, noster tantum lapis notitiam profert: cogitaveram prius, num DALMATI sculpi debuisset; sed antequam Dalmatius, qui anno 533 consulatum gessit, Cæsar nuncupatus esset, filiam annorum 45 habere non potuit: honorarium potius consulem Palmatum crediderim, ex iis, qui anno & Fastis nomen nequaquam dabant, sed nomine solummodo & insignibus ea dignitate gaudebant; ut Justiniani ævo Artabanes fuit, quem imperator, ut Procopius docet, *εἰς τῶν ὑπάτων ἀνεγράψατο τὸ ἀξίωμα, ad Consulum amplitudinem evexit: Bell. Goth. l. 3. c. 35.* & de quo paulo post dicitur, *ὕπατος βαλοῖτο μόνον. Consul nomine erat tantummodo* Tituli *Felice, Opilione, Boetio* consulibus exarati, cum nomina hæc bis occurrant in Fastis, anno certo reddi non possunt. Severum occidentalem consulem pro imperatore in ea rerum perturbatione Lugduni aliquando suspectum epigramma docet duodecimum *domino nostro Severo & Jordane* consulibus incisum. Decimum septimum eum p. Menetrierius afferret, notam quæ numerum VI connotat, prætermisit.

Orientalium consulum in occidentem rationem multoties neutiquam habitam discimus, cum in vicesimo legimus *Tertio post consulatum Paulini junioris*, & in vigesimo quarto *Novies post consulatum Johannis*. Hoc idem docet consulare laterculum, quod in regio optimæ

mæ notæ codice, ex Colbertinis n. 1398, percurri nuper. S. Hieronymi Chronicon in eo continentur typographicis & mixtim maioribus, sed ab eleganti forma deflectentibus, literis descriptum. Sub finem: *Consules ordinari post opus s. Hieronimi constituti*. Ab Ausonio & Olybrio initium est. Occidentales fere semper præponuntur, cum alibi orientales ut plurimum soleant præcedere; heic autem & præmittuntur, & pluries post consulatus notatur, cum in oriente tantummodo consules processere. Ineditum primo putavi hoc laterculum; sed cum forte Hieronymianum Chronicon ex præclara Pontaci editione paulo post evolverem, illud ad calcem admotationum deprehendisse mihi visus sum: perraro saltem, atque ut opinor, editore emendante, deflectit. Habet ad annum 443, ut & Fasti ceteri; *Maximo II, & Paterio*: verumtamen monui jam actorum collectionem vulgans papyro Ægyptia inscriptorum *Ist. Dipl. p.* 127 documentum apud me illa ipsa ætate exaratum haberi, in quo consulatus *Maximi Ter, & Pateri* perspicue consignantur, unde colligi potest, Cyri orientalis occidentalem collegam fuisse Maximum throno consulari iterum admotum.

Ad annum 491 ms codex *Olybrio*; at in marmore nostro quarto decimo *post consulatum Longini bis & Fausti*. Anno 496 liber post consulatum signat, & subsequenti II. P. C. Ad 517. *Agapito*: at inscriptio decima octava *Anastasio*. Mirabatur Norisius, orientalem

lem consulem pro occidentali in hoc lapide memorari *Ep. Cons.*; censuit ea proter Pagius, ex transmarinis partibus in Galliam fuisse advectum: sed laterculum item nostrum, ubi orientalis consul imperator esset, una vice & altera orientalem recenset, occidentalem silet: idem forte quandoque præstabant, ubi ex imperatorum filiis, aut nepotibus, & successoribus destinatis consules desumerentur. Annus 537 in laterculo hac formula notatur: *Paulino III, & Bisilario III.* At in XX Inscriptione *Tertio post consulatum Paulini junioris*. Exinde in codice: *Paulino IIII, & Joanne Paulino V. & Joanne II* quo anno communiter Appio consignatnr; solus. Ad 540, *Paulino VI. & Appione*; Paulinum Baronius vidit: Pagius hoc anno Justinum solum enuntiat. Lapis, qui P. C.... ONIS habet, num *Appionis* habuit? Ad 541 quo anno Basilius junior communiter, recitatur, XXI Inscriptio *P. C. Furtini*, notat, & ms. liber *Paulino VII, & Appione* II, XXIII eas dictiones *viri clarissimi Consulis* nove scribit: IV quoque pro IIII videre non memini in monumento vetustiori.

Penultima Inscriptio Agapii monumentum continet, quod a Sponio inter lugdunensia parum diligenter relatum, adamussim excepi, cum inauditum Justini sexagesimum primum postconsulatum doceat. LXI PC IVSTINI. Scimus Justinum juniorem consulatus honorem tunc propemodum abrogatum instaurasse, sibi ta-

tamen solummodo, & successoribus reservatum. Docte in hoc argumento Pagius Byzantinos fastos hypatica Dissertatione restituens : Sed novum est, Justini nomine annos ultra sexaginta insigniri, ac si Tiberius Constantinus, ceterique usque ad Pogonatum successores consulatum non inierint. Quartam etiam Indictio animadvertenda est cum sexagesimo primo postconsulatu copulata; quæ cunjunctio nec modum comprobat, quo Justini consulatus Marius aventicensis enuntiat, nec cum fastis Maffeiorum facit, quos laudat Panvinius, queriturque non una vice Pagius in lucem non prodiisse.

Postremum de Robaldo Ticinensi tetrasticum ea de causa attuli, ut videas medio ævo sicuti in Italia, ita & in regionibus ceteris latina carmina rithmis, sive earumdem syllabarum adsonantiis, infecta fuisse. Quamobrem mirari nequaquam debuisse harum rerum indagatores, in versibus, qui vulgaribus linguis eodem tempore multis in locis pangi incipiebant, eamdem popularium auribus pergratam mulcedinem ubique captatam esse, neque de eiusdem inventoribus tam operosas instituere debuisse disputationes.

In quibusdam mss. collectionibus epitaphia etiam reperi antiquis formulis insignita, quæ regum francorum annos adnotant. Adeo scilicet prisca est potentissimi huius regni constitutio, & maiestas, ut quemadmodum priorum regum monetæ iter antiqua numismata collo-

cari possunt, ita priorum temporum tituli veteribus inscriptionibus accenseri. Recitarem, nisi longe inemendata in codicibus occurrissent. Erat quod sic obsignaretur: *anno V regno Dagoberti Reg. D. N.* item quod sic: *transiet XV K. Nov. an XXX XVI Reg. Clotario D. N.* Clotario tamen Chilperici filio non nisi unum & quadraginta adsignamus annus. Epitaphium quoque Panelopes vidi (non *Palepone* ut alicubi ex typographi errato excusum est) quæ obiit *ann. X. Regn. Dom. Nos. Teudere.*

Jam vero dimittendus aliquando es: Maiellæ, Ceratio, Assemanio, Valesio, Blanchinio meo patrui vestigiis insistenti, ceterisque compluribus, qui Romæ præcipua florent literarum laude, tibique eo nomine familiares sunt; Gallianio præcipue, si verum est, his diebus ad urbem accessisse, quantum iis me deditum, addictumque profitear, testatum iterum atque iterum facias velim. Deum optimum maximum, ut in Chistianæ reipublicæ bonum salvum te diutissime, atque incolumem præstet, enixe deprecor.

EPI-

EPISTOLA XXI.

Pat. BERNARDO DE RUBEIS.

SC. MAFF.

S. P. D. { *Idib. Febr.* an. MDCCXXXIII. *Parisiis.*

Non d. Hieronymi editio, quam deficientibus omnino in Italiæ præsertim librariis officinis anteriorum exemplaribus, tantopere urgebas. Veronæ jam sub prælo est, ac torcularios homines jam fatigat. Hunc mihi nuntium exoptabilem doctus presbyter Dominicus Vallarsius nuperrimis literis nuntiat. Strenue is in opus incumbit, & in repurgandum præcipuæ sancti doctoris textum operam studiose confert: ulteriori diligentiæ nunquam præripitur locus. Mire quidem in eo felix est: ventitabat ad me frequentissime, novam aliquam afferens semper, ac proponens emendationem: postquam longe absum, idem per literas præstat, res plures quandoque accumulans. Ut earum specimen quoddam habeas, quas recenti epistolæ adjunxit, tecum communico. Ad primum volumen pertinent, ut & aliæ a tribus aut quatuor mensibus missæ; illud scilicet habet non præ manibus hieronymianas epistolas continens.

Præclara opuscula tua nullus heic bibliopola novit: plura, & plane haud flocci facienda, ab annis pluribus in Italia sunt emissa,

quæ in maxima hac metropoli aut nondum innotuerunt, aut quam paucissimis; bibliopolarum culpa, quos etiam atque etiam literati viri incusant, meliores Italiæ libros minime arcessentes, & si unum aliquod forte habeant, dupli condemnantes emptores, aut tripli. Mihi amicissimo ex Franciscanis patri Lodolio multam salutem dicas. Vale.

Ad Virgines Hermonenses ex epistolis una inscribitur: fuere qui ad Hermon Amorrhæorum montem referrent, atque hinc duo Hieronymi in Palæstinam itinera comminiscerentur. Contendit Vallarsius *Æmonenses* legi debere, & præcedentem quoque ad Antonium *Æmonæ* monachum missam esse, non *Hermonæ*. Regius bonæ notæ codex ex Colbertinis 468, *Ad Virgines Hæmonenses* habet. In 2533 *Hermonenses*. Æmonensis civitatis situm, de quo etiamnum disputatur, antiquos lapides illustrans aliquando indigitabo. Pannoniæ Plinius adtribuit, Italiæ Herodianus.

In epistola de optimo genere interpretandi *ante annos circiter XX* Eusebii Χρονικὸν in latinum vertisse, affirmare videtur Hieronymus. Cum ex eo plures oriantur difficultates, viros doctissimos huius epistolæ annus diu torsit, & illarum quoque ad Nepotianum, ac de Nepotiano: quin & origenianæ causæ epocha videtur ab iisdem ob eamdem rationem minus recte consignata. Noster optimis argumentis pugnat, *ante annos circiter XV* legendum esse,

quo

quo posito omnia procedunt recte. Nihil eo errore facilius. In periodo anteriori versiones textui nimium inhærentes, ut magna auctoritate d. Hieronymus damnet, Horatii versum adfert,

Nec verbum verbo curabis reddere fidus interpres.

Eumdem in eadem causa, & ad liberiores versiones tuendas adduci persæpe audimus. Proferunt & protestantes, ut Lutheri versionem biblicam, quam paraphrasin melius dicerent, comprobent. Dissertatiunculam olim adornaveram, in qua plures veterum scriptorum loci numerabantur, quibus uti præter ipsorum mentem, atque etiam in contrariam partem solemus. Erat quidem hic inter illos; neque enim de translatoribus ibi Horatius agit, sed de imitatoribus, quos non ita presse ac serviliter imitari vult, ut verbum verbo reddant, ac si fidi interpres essent; unde inferri potius deberet, textui suo interpretibus quam maxime inhærendum esse, docuisse Horatium. Optime ceteroquin versiones verbatim redditas Hieronymus irridet, optimoque jure alibi quoque monuit: *si ad verbum interpretor, absurde resonat.*

In epistola ad Theophilum adv. Joan. Hieros. *Numquid ego in turbam mitto Origenem? numquid ceteros tractatores? scio me*, &c. Emendat ex ingenio partim, partim ex codice: *numquid ceteris tractatoribus socio? Scio &c.* Li-

brum *de viris illustribus* Colbertinus codex 2518 inscribit *de Tractatoribus*.

Ad Eustochium de Cust. Virg. *Et si quando lepide & festive volunt vivere*. Reponit noster: *si quando lepidæ & festivæ volunt videri*: qui contextum excutiet, optime restitutum fatebitur locum.

Ad Evangelum de Melchis. *Ego post longam ægrotationem vix in Quadragesimæ diebus hæc fabricare potui*. Suspicatur Vallarsius legendum esse: *vix in Quadragesimæ diebus febri carere potui*. Regius codex inter lemovicenses 119 non habet *hæc*; propterea conjecturam firmat.

Ad Oceanum de unius uxoris viro. *Qui si forte dicati ab imperatore stolam illius meruerint*: quod nihil dicit: noster scribendum monet, *stolam illis meruerint*: nempe ancillis vestem matronalem: nihil certius.

Ad Heliodorum de morte Nepotiani. *Ubi est ille ἐργοδιώκτης noster & cygneo canore vox dulcior?* Ex codicum vestigiis ὀροσπίζης reponendum esse videtur Vallarsio, avis canoræ nomen, quam Aristoteles, & Hesychius memorant.

Ad Sophronium Psalterium mittens: *Quod opusculum*, &c. Græca verba, quæ in mss. interseruntur, ut habentur, nihil sunt. Postremus editor ita restitui posse ingeniose suspicatus est: ἀντὶ φοινίκων τὰ βαΐα σύρουσι. Quæ quidem haud transtulissem *coram*, &c. sed *pro arboribus ramos afferunt*. Vallarsius levio-

ri

ri adhuc mutatione, scribi debere opinatur, *ἀντιφιλονεικων τοῖς κατατύρσοι · detractoribus contentiose repugnans*. Videndus locus.

Ad Sunniam & Fretelam in Psalmo XIX, *quia ex superioribus ἀπὸ κοινῦ subauditur*: sententia neutiquam constat; constabit autem si legamus, *quia ex superioribus ἐπακούσαι σὺ subauditur*. adde *κύριος*: inspiciatur auctoris contextus.

Sequenti pagina 635 *κὴ εἰσεπορεύετο*, legendum *κὴ ἐὰ εἰσεπορεύετο* hebræus textus habet אם בא *him bob. si venerit*.

Psalm. 43. 1. *in similitudinem in gentibus*; post quæ: *sed si dictum fuissent in Latino, in similitudinem in gentibus κακοφωνον esset*. Sensum parum sibi constare animadvertit Vallarsius, quod hæc desint verba, in mss. ab eo reperta; *pro quo in græco scriptum sit ἐν τοῖς ἔθνεσιν*.

Psalm. 55. 8. *Pro quo in græco legitur ἐν ὀργῇ λαὸς καταξεις, idest confringes, & apud Latinos pro eo quod est dejicies, idest καταβαλεῖς, male error obtinuit κατάξεις, id est, in ira populos confringes*: Sana hæc non esse consideranti patebit: Noster mss. codicum auctoritate, & firmis rationibus innixus *ἐν ὀργῇ λαὸς* delet, & pro *confringes* legit *deduces*, secundum verbi *κατάγειν* significationem, & Psalmorum versiones apud ss. Hilarium, & Augustinum. *καταβαλεῖς* loco *κατάξεις* reponit ex optimæ notæ membranis; deinde pro *κατάξεις* legit *καπεάξεις*, a *κατάγνυμι*, quod

est confringere, ut habetur Matth. XII. 45. Verba *in ira populos* ebjicit, cum in mss. minime habeantur. Paulo post, Symmachi interpretationem κατατεῖτε mutat in κατάγαγε ex Eusebio, & ex probato codice.

Psal. 77. 69. εἰς τὴν γῆν substituit ὡς τὴν γῆν. Favent Eusebius, & Theodoretus: Hebræus textus בארץ *Caares*.

Psal. 103. *Quod Aquila sic interpretatur est*, ἄυτη, &c. Lacunam heic deprehendit Vallarsius, ob quam Aquilæ interpretatio desideratur, ipsique aliena tribuitur: supplevit feliciter manuscriptorum ope: *Sic interpretatus est*, αὐλὴ ἡ πλατεῖα χερσίν· Θ' *omnes interterpretes* ἄυτη ἡ θάλαστα, &c. Αὐλὴ haud incongrue vocari potuit mare, quod venti perflant, quum ea vox, si Athenæo credimus, ab ἄω fuerit deducta.

In epistola de Filio prodigo ad Damasum adnotat noster, *famem validam* dici μετὰ ἐνστάσεως secundum Erasmi placitum; secundum Victorii μετὰ ἐκτάσεως; secundum p. Martianæi μεταφορικῶς· ipse vero μετὰ ἐμφάσεως, ἔμφασιν pro efficacia significationis Quintilianus, & alii adhibent.

In epistola ad Julianum ipso initio: *Jam dimisso synthemate equus publicus sternebatur*: sunt qui *synthesi* velint reponere, sunt qui *schemate*: Victorius, Salmasius, Valesius, alii vestem intelligi volunt: pro diplomate Vallarsius habet. Rei diplomaticæ historiam condens, adnotavi, in antiquis glossis Σύνθημα

reddi

reddi *Sigillum*, *Evectionem*; ab Hesychio reddi σημεῖον significatione eadem; & in libris etiam basilicis συνθήματα appellari diplomata ad cursum publicum usurpandum: *evectiones* latine apud Symmachum, & in pluribus utriusque codicis legibus; etiam *evectionis auctoritates*.

In epistola ad Principiam: *Quum* βαρὺς *verbum sit* ἐπιχώριον *Palæstinæ* &c. infra: βαρεῖς *appellentur*: ita editores omnes, quamvis ita scribentes in eumdem errorem incidant, quem ibi s. Hieronymus arguit, eorum nempe, qui *a gravibus* interpretati sunt. Βάρις a בירה est, *Birach*. Vid. I. Paralip. XXIX. 1 plurali numero בירנית *Biranoth*, Βάρεις· *magnas*, *& in modum turrium ædificatas domus* ipse Hieronymus explicat in Oseæ cap. 9. Videndus & in Hierem. c. 17. in Amos I. 12. nec abludunt Hesychius, & Suidas.

Dictionem מרה hoc est *mara*, aut *merrha* pluribus locis reddi notat *myrrha*, non sine corruptione sententiæ.

In epistola de XLII Mansionibus. *Quadragesima Mensio vertitur in contemptu plagarum*: qua lectione significatio eius mansionis omnis invertitur. Emendat Vallarsius *palatharum* ex hebraico דבלתים *deblathaim*, & greco παλάθη· est ficuum massa: hinc optime sequitur: *Et hanc discimus*, *omnia dulcia*, *& illecebras voluptatum*, &c. Vide Hier. ipsum ad Oseam c. 1. & in Ezech. 6.

Ad Dardanum: *a meridie maris Salinarum*

per

per Sina & Cades Barne. Reponit *Senna*, & ex hebraicis dictionibus prolixe probat. Videndum Ezechielis caput 47. & s. Hieronymus ad eum locum.

In epistola de Ephod & Teraphim *decor caprarum* habent editi pro *jecur*. Errorem a d. Hieronymo notatum videntur editores non percepisse. In hebræo est *Chebir* כביר *pulvinar*, *pulvillus*; at docet ibi Hieronymus perperam a Græcis interpretibus lectum: decepti forte sunt ab similitudine literarum. כבד *Chebad* ἧπαρ τῶν αἰγῶν.

In epistola ad Celantiam, cuius pervestigat auctorem: *per singulas vestimentorum fimbrias habeant cum coco hyacinthini coloris insignia*: ineptire videtur sententia, sic autem restitui: *eas cum flocco hyacinthini coloris insigniant*: noti sunt Judæorum ad quattuor pallii angulos dependentes flocci.

In epistola ad Domnionem *Alexandri Aphrodisei verti commentarios* nihil aliud significare putat, quam eos nocturna versasse manu, versasse diurna, neutiquam vero, ut creditur, e græco transtulisse.

In epistola ad Eustochium: *Frater est mortuus*, *sororis corpusculum deducendum*, amoris, & spiritualis cognationis putat nomina frequentissimo exemplo, ac perperam intelligi communiter de sorore Blesilla, & de carnali fratre, quem præter Toxotium habuit nullum. &c. &c.

EPI-

EPISTOLA XXII.

APOSTOLO ZENIO

SC. MAFF.

S. P. D. { *Kal. Martiis. an.* MDCCXXXIII. *Parisiis.*

Næ tu mirificus homo es, qui cum ego ut perrara quædam gazophylacii tui numismata, quæ anno transacto Venetiis cursim apud te vidi, mihi sine mora diligenter describeres petierim, post duos menses nondum quicquam rescribas. Id quidem si ex valetudine forte accidit, quæ parum firma tibi sit, ut sæpe solet, vehementer doleo, nihil enim me tam sollicitum habet, ac febricula illa, quæ te aliquando furtim corripit, & requiescere non sinit. Jam vero cum te summa voluptate in re nummaria versari intellexerim, & quamvis haud ita pridem huic te studio dedideris, mira felicitate (quæ ingenii tui præstantia in disciplinis omnibus semper fuit) quodvis numismatum genus memoria complecti, & facile interpretari, de antiquis nummis tecum agere constitui. Cum non sine plausu exceperis, quos e veronensibus cimeliarchiis antea nequaquam vulgatos protuli; multo maiori excipias necesse est, quos nunc e gallicanis seligo, ut in notitiam adducam tuam.

Ne-

Neque vero veronenses ipsos nondum visos memoravi singulos, horum enim inter alios me oblitum memini:

Augusti caput sine inscriptione: in aversa parte stella, circa quam PHΓΛOΣ. num ita scribi debuit apud Ptolemæum Cyrrhesticæ civitatis nomen, quæ in editis *Regias* est? æreus minoris moduli: medii subsequens:

Caput turritum sine epigraphe: in altera APTA.. KAIΩN MHTPOΠOΛEΩΣ. Spicæ cum monogrammate utrimque. Abrasa litera K videtur fuisse. Memoratur *Artace* Ptolemæo in Bithynia, sed χωρίων; *Artacene* Straboni in Assyria, sed regio: nummum ad *Artacoanam* (ita apud Arrianum male enunciatur) pertinere opinor, quæ arianæ regionis fuit caput, ac propterea metropolis dici potuit. Prædictus Historicus: εἰς Ἀρτακόανα πόλιν, ἵνα τὸ βατίλειον ἦν τῶν Ἀρείων· *in qua Regia Ariorum erat. Arr. l. 3. c. 25.* Si ita est, non puto magis dissitæ civitatis visum esse nummum, vel etremæ Parthiæ, vel ultra Parthiam siquidem fuit.

Verum quid ego tibi de amplissimis selectissimisque Galliæ cimeliis disseram? maximæ profecto, immensæ, incredibiles omnino gazæ. Genevæ nobilem aureorum numismatum seriem cl. Turretinius habet: Lugduni item aureorum spectatissimam d. l'Aisné, quam nuper eius urbis commune optimo consilio redemit, utque in posterum distrahi nunquam possit, publicavit. Monspellii d. præs. Boniùs,

nius, Nemausi reverendissimus praesul Parisierius, Massiliæ d. Gravierius, itemque Græcorum præcipue, atque Ægyptiorum avidus d. Cary, Aquis sextiis d. præs. de Mazaugues, eximias huius generis divitias possident. In eadem vero urbe inenarrabiles cuiusvis numismatum generis acervos, rarissima capita quadruplicata & quintuplicata, illustris Lebretius provinciæ præfectus, supremæque curiæ præses, antiquitatis adsertor acerrimus, in thecas retulit suas, quas quidem in rei literariæ bonum patefacit libentissime. De Parisiensibus autem cimeliarchiis eloquar, an sileam? Regium thesaurum ubique terrarum celebratissimum quid tibi memorem? mira inter ceteras series est argenteorum, mixtimque aureorum maximi moduli numismatum. Catalogus adest duobus voluminibus amplissimus erudite ac diligenter elaboratus; graphides item quam plurimæ, Maximorum præsertim, Morellii manu ut dicitur, cum explicationibus ab eodem additis. Gazæ omni eruditissimus nunc præsidet, idemque humanissimus d. Bozius, in cuius laribus bibliothecam rarissimis refertam voluminibus magnificeque compactam multa cum voluptate conspexi. Thesauri custos plurium disciplinarum apprime gnarus d. Hardionius est, utrum doctrina, an comitate magis laudandus nescias. A regio secundum constituo ingenio, ac benignitate æque suspiciendi d. abbatis Rothelinii museum, cuius ex argento præcipue mira est suppellex. Ex auro

sele-

selectissima est d. Cleves collectio, in quo certat cum mira eruditione modestia. At eas congessit æreas series d. de Sorbeck, primæ Helvetiorum prætorianæ cohortis ducenarius dux, ut cum eas percurris, nihil pulchrius vidisse unquam putes, exquisitius nihil. Ab viro hoc clarissimo collectionem per Mediobarbum exhibitam propediem habebimus ita adauctam, atque expolitam, ut illam vix agnituri simus; imperatoria enim a Cæsare ad Philippum numismata continebit universim omnia, cum latina, tum græca. Massiliæ p. Panelii S. J. vividi ingenii juvenis adumbrationem vidi universalis, quem parat, quorumcumque omnino numismatum thesauri. Melitensis etiam Baillius de Camilly navis præfectus, qui marium omnium vias iit reddiitque multoties, præclaras huius generis merces collegit.

Scrinia numerantur adhuc in hac urbe complura, quæ nondum inspexi: ex illis, quæ ad hanc diem perlustravi, quosdam in adversaria mihi nummos retuli, quorum ad te descriptionem mitto: fere omnes, ni fallor, nondum vulgatos, & historiæ, aut geographiæ, aut aliqua alia de causa profecto haud inutiles. Aliquando integros non exscripsi, itinerantium more properans nimis: utcumque tamen heic habeantur, confido fore, ut quam libenter excipias. Sed in primis cures velim, ut te prorsus confirmes: nihil mihi magis cordi est; neque enim, ut scis, aut anteriorem tem-

tempore, aut tui amantiorem uspiam amicum habes.

ΠΕΡΔΙΚ. Galea in areola quadrata: ex parte altera equus arg. *Cary*. Vetusti huius Macedoniæ regis nummus exstat in regia gaza cum Aquila, & Herculis capite, quod Goltzius ipsius Perdiccæ credidit. At Amyntæ cum capite ipsius diademato vulgavi inter Veronensia numismata. *Ver. Ill. par.* 3.

ΑΡΣΙΝΟΗΣ ΦΙΛΑΔΕΛΦΟΥ. *Clev.* Aureum eiusdem fere ponderis & typi numisma, ac regium est, & illud etiam, quod e repositoriolo meo nuper edidi; sed annus heic regnantis mariti additur, & urbis nomen, ubi cusum. ΙΛΓ. ΠΑ. *anno* XXXIII. Παφίων, ut columba item docet literis supposita, quamvis ea minime appareat, ut nec lotus in reginæ vertice, ubi hunc ipsum nummum Harduinius ad Plinium protulit *Tab. XI.*

ΣΕΒΑΣΤΟΥ ΚΑΙΣΑΡΟΣ. caput laureatum. ΦΙΛΤΕΤΡΑΡΧΟΥ. Templum tetrastylum: inter columnas ΙΛΓ. *Rot.* ær. exigui moduli. Philippi, Herodis magni filii, ac Trachonitidis tetrarchæ hic unice habetur nummus. Decessisse docet Josephus principatus anno trigesimo septimo, Tiberii vigesimo: trigesimus tertius annus Augustum respicit, aut tetrarchiam Philippi. Ut Philippi credebamus, ita Archelai fratris, qui defuncto patre in maiorem partem ditionis successit, non reperiri numismata credimus; verumtamen perpendatur quæso. Herodis ΕΘΝΑΡΧΟΥ nummi

mi Herodi magno adsignantur: at quis sibi persuadeat, *ethnarcham* in publicis monumentis dictum esse, qui rex erat, & regis nomine ab omnibus memoratur? *Ethnarcham constitutum* ab Augusto Archelaum fuisse, docet Josephus *L.* 17. *c.* 11; neque id nominis alii adtributum est, fratres siquidem tetrarchæ fuere. Ad illum ergo pertinent ethnarchæ numismata. Non obstat, quod Archelai nomine is designetur in Evangelio, & apud Josephum, nam idem a Dione Ηρώδης ὁ Παλαιστηνὸς appellatur *L.* 55; ubi *certum esse*, *Herodis nomine Archelaum designari*, Norisius animadvertit; utroque igitur nomine est usus. Agrippa item maior, Agrippa in nummis dicitur, & apud Josephum *De num. Her.*; at in Actis Apostolorum Herodes est, ut idem Norisius adnotat. Nec proterea Herodis magni nummis caremus, namque ad ipum videntur spectare, qui ΒΑCΙΛΕΩC ΗΡΩΔΟΥ nomen cum ara accensa præferunt, & notas LIT, quæ Seleucidarum æra est, cuius annus CCCIII cum Herodis magni regno recte componitur. Haud ignoro numisma eiusmodi, quod nuper in regio thesauro inspexi, aut Herodi Chalcidis regi adsignari, aut Herodi Galileæ tetrarchæ: verum hunc tetrarcham scimus, non regem; illum syriacæ regioni imperitantem sine capite nummus non exhiberet, nec sine imperatoris Claudii honoribus. In Judæa cusum typus arguit hominis effigiem repræsentans nullam; in Judæa vero rex præter magnum Herodes

rodes fuit nullus. Harduinus, qui T interpretatur *Tiberias*, non meminit, Herodem tetrarcham, Tiberiadis dominum, non fuisse regem. Hæc quidem recte, ni fallor, & ingeniose adnotata videri possunt; quod præconium mihi nequaquam competit, Hieronymi siquidem Ballerinii, veronensis juvenis, animadversio fuit, quam mihi (aliquot jam anni effluxere) fabulando ipsum enarrare memini.

ΤΙΒΕΡΙΟϹ ΙΟΥΛΙΟϹ ΒΑϹΙΛΕΥϹ ΡΗϹΚΟΥΠΟΡΙϹ. Regis caput diadematum: ex altera caput item diadematum, a cuius dextra K, a sinistra Δ. *Rot.* ær. Docet nos Dio, Dalmatas, qui sub Augusto a Romanis defecerant, postquam Tiberium legionibus urgentem ob locorum peritiam elusissent, Macedoniam invasisse *Lib.* 55: sed eos *Rhematalcem, eiusque fratrem Rhescuporim prælio fudisse.* καὶ τούτους μὲν ὅ τε Ρυμητάλκης, καὶ ὁ ἀδελφὸς αὐτοῦ Ρασκύπολις (ita in libris nomen corrumpitur) μάχῃ κατέλαβον *Lib.* 47. *Dynastam* vocaverat idem historicus ex eorum maioribus illum, quo auxiliante Brutus prospere in Thracia res gessit; *gelidæ Dominum Rhescuporin oræ* Lucanus, quamvis editi *Rhascipolim* corrupte præferant *Lib.* 5. Rhemetalce vita functo Augustus inter Rhescuporim, & Cotym Rhemetalcis filium Thraciam divisit, quod Tacitus docet *Ann. l.* 2. Tiberium deinde grati animi ergo regia dignitate Rhescuporim auxisse, credibile est; qui propterea gentilitium eius nomen cum prænomine sibi

adsciverit. Caput alterum nepotis esse existimo, quem deinde Rhescuporis perfide occidit, quod ob scelus ipsi par pari Tiberius retulit. Discimus ab hoc numismate, consuevisse reges quoque illorum nomina adsumere, per quos insigne aliquod beneficium consecuti essent. Hoc & nummus alius L. Antonii Tarcondimoti docet, & M. Julii Cottii Arcus secusinus, & sponiana Inscriptio Julii Agrippæ. At in præmisso animadverti etiam velim *lunata efficium testudine sigma. Mart.* Eiusdem ætatis apud Eq. Cam. TIB KAICAP est intra coronam lauream; & in aversa parte spica cum IOΥΛIA LIA. Quin in eadem serie æreum vidi infimi moduli cum spica hinc, & circum KAICAPOC; palma illinc, & LΛΘ, qui Augusti principatus est annus. In eorumdem temporum aliis ω non semel conspicitur. Quid ergo regulas nobis ædificant, haud anteriorem Domitiano ætatem ex ea literarum forma arguendi? Verum in museo roteliniano vulgati quoque habentur posteriorum Rhescuporidum nummi; itemque argenteus cum Augusti capite sine literis in antica, Capricorni autem typo in postica, & epigraphe: BACIΛICCA ΠΥΘΟΔΩPIC ETOΥC Ξ.

In argenteo maioris moduli penes ducem d' Estrées, seu verius æreo argentea pellicula tecto, diadematum caput barba haud promissa. Nummi facies altera sedentem & nudam figuram exhibet, sub qua ΥKE. in area tranversim BACIΛEΩC MONNHCOΥ CΩTHPOC

POC ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ. Quisnam hic est Monnesus rex? huius nominis virum Plutarchus *In M. Ant.*, eiusdemque in Parthicis exscriptor Appianus, nec non Dio memorant, qui Orodis regis (sive Yrodes, sive Herodes fuerit) filiique sui Phraatis tempore ἀνὴρ ἐπιφανὴς καὶ δυνατὸς inter Parthos fuit, sed nequaquam rex. Monæsem, qui Romanorum æque ac Pacorus, *Non auspicatos contudit impetus*, Horatius laudat, sed nisi idem sit, historicis prorsus silentibus: ac si idem sit, eum cum Romanis belligerantem neutiquam memorantibus, sed amicum potius, atque ad eos transfugam *L. 3. Od. 6.* Verumtamen cum ex æra Seleucidarum annus 425 signetur in nummo, qui incidit in imperium Traiani, num *rex* ab eo imperatore *Parthis datus* heic nobis repræsentatur, quem Xiphilinus *Partham aspatem*, Spartianus *Psamatossirim* nuncupant, ita ut nomen in ambiguo videatur fuisse? An potius Monnesus scribi debuit apud Theodosium in Excerptis Dionis, ubi *Manisarum* legimus, qui Cosdroem bello vexans, Mesopotamia & Armenia potitus est, ita ut regis titulo ante Traiani aggressionem optime cudere monetam posset? Numismatis tamen aspectus ab iis etiam non recedit, qui Sauromatas reges exhibent: num inter Sauromatem, qui annum in monetis notat 418, & Eupatorem qui 459, Monnesus noster collocandus?

ΑΝΘΕΜΟΥΣΙΩΝ· caput muliebre turritum. Huius urbis nummum Holstenius unice memo-

ravit ad Stephanum, sed e Pyrrho Ligorio. Plinius : *Præfectura Mesopotamiæ, in qua Anthemusia, & Nicephorum oppida.* Nummus est Caracallæ. *Lebr.*

CEABIΛHNΩNIAAΠKOICTPIAC. Hercules saxis insidens. *Lebr.* explico: *Severianorum Abilensium Sacra Asylus Autonoma Civitas, aut Prima Cœlesyrie*; & L. Sept. Severo numisma tribuo, cum detrita aliquanto sit antica numismatis facies. Abila a pluribus scriptoribus memoratur, Abilena regio a d. Luca Evangelista. Urbis huius nummum nudo ethnico nomine recitavit Goltzius, ABIΛHNIΩN perperam efferens; nam cum hoc numismate etiam Stephanus facit.

BHPTTIΩN. LΓN. *Lebr.* Huius urbis nummos cum epocha nondum videram.

DPOTΣ AΦPOΔITHΣ. Drusillæ caput cum Caii item capite exiguo, & transverse recuso. BTZANTIΩN. Stella & Luna. *Lebr.* Veneris nomen Juliæ Augusti filiæ in aliis nummis tribuitur, & Messalinæ Junonis in pulcherrimo, quem edidi de amphitheatris agens: eodem modo Byzantii Drusillam consecrant, & Caii caput recusum addunt.

Commodi nummus æreus in postica Æsculapium habet, ΓAPΓAPEΩN. *Rot.* Plinius Mysiam describens: *Mons Gargara, eodemque nomine oppidum*: ex nummis non innotuerat. Πόλις τῆς Ἴδης in magno etymologico, & alibi dicitur.

ΔΩPHNITΩN L PKH. Miles, ut videtur,

tur, cum hasta, & cornucopiæ. In altera caput barbatum sine epigraphæ; Jovis ut puto, quem *semper barbatum* Tullius dixit *Nat. D. l.* 1. τὸ ἐθνικὸν singulare est. *Lebr.*

Maximi moduli Severi Alexandri caput: in aversa: ΕΠΙCΤΡΑΤΡ ΚΕΝΤΑΥΡΟΥ ΔΙC. infra ΘΥΑΤΕΙΡΗΝΩΝ. Tres insurgentes leones: supra illius caput, qui medius est, sol capite radiato, circulo insistens: sub leonibus ad utrumque latus tauri exiguum caput, stella, & bicornis luna. *Lebr.*

ΑΥΤ. ΚΑΙ. ΠΟ. ΛΙΚ. ΟΥΑΛΕΡΙΑΝΟΝ. CE. in area IA. Valeriani caput laureatum. ΚΟΛΥΒΡΑCCΕΩΝ. Mulier stans dextra hastam, sinistra pateram. Hoc oppidum Ptolomæus unice memorat in Cilicia. *Lebr.*

Domitia pulcherrima ΚΟΤΙΑΕΩΝ. infra ΙΣΟΣΘΕΝΟΥ. er. *Sorb.*

Augusti caput sine literis. Exinde in laurea ΦΙΛΟΚΑΙΣΑΡ ΜΡ ΤΩΝ ΝΥΣΑΕΩΝ. In hac urbe Γραμματεὺς præsidebat: huius vocis priores literas monogramma designat. Qui hunc magistratum gerebat Philocæsaris ostentabat nomen, ut postmodum Philoclaudii rex Agrippa. *Rot.*

vis monumentis Galliam ditaret illustraretque? quid jam nunc mox apparituro operi favorabilius? Vix itaque credas, vir illustrissime & eruditissime, quam jucundum nobis sit, quam suave, quod te resciscere non pigeat, quid sit id in quo evigilent curæ nostræ. Vix, quantum inde ad elaborandum nostra excreverit alacritas.

Sunt quædam opera, ut approbe nosti, quæ eam habent naturam atque conditionem, ut in illis conscribendis, se non amasse auctores, sed solam utilitatem publicam quæsiisse, per se manifestum sit. Id genus est illud, in quo quemadmodum audisti, jamdiu sudamus. Nulla admittit ornamenta, nullum orationis florem, nullum cohæret contextu, omnia ubique dissipata sunt, contracta, inculta, aspera, barbara etiam, prout suis quæque locis, unde sumpsimus, scripta legentur, quodque non parum styli, si stylus dici possit, quasi mœstitiam auget, censorium scribendo nusquam fere ponimus supercilium; at lædimus parce & molliter. Verbo dicam, nihil habet elucubratio nostra, quod suos sive auctores, sive lectores allicere possit præter utilitatem: cui soli ut serviremus, a mansuetoribus musis disjunximus nos, inceptumque aliud opus, quod oblectabat, intermisimus.

Scilicet ad veterum librorum emendationem, ad historiarum veritatem & fidem, ad collectaneorum usum, brevitatem, & modum, ad novarum editionum expurgationem & perfectionem, ad studiorum facultatem & commo-

dum

dum conducere, non minus operæ pretium esse existimavimus, quam nova parturire volumina.

Quanta enimvero, ex quo inventa est ars typographica, horum abundantia est! quanta præsertim collectaneorum redundantia! quam multa ex his indigesta & talia ac tam heterogeneis partibus aut constantia aut præter institutum referta, ut vix digeri possint & alicui esse usui! quot quotidie tamen aduc alia nuper alia cumulantur? quot generatim *analecta*, *anecdota*, *antidota*, *micropresbytica*, *hæræseologiæ*, *hortodoxographa*, *thesauri*, *supplementa*, *manipuli*, *spiciligia*, *summicta*, *paralipomena*, *catenæ*, *liturgiæ*, *opera insignioria*, *opuscula selecta*, *bibliothecæ patrum*, *codices regularum*, *specula*, *fasciculi*, *musæa*, *itineraria*, *insignia itinerariorum*, *codices apocryphi*, *annales*, *heptades*, *triades*! quot *historiarum* omnis generis, *scriptorum paræneticorum*, *antiquarum lectionum*, *variorum*, *vitarum*, *actorum*, *homiliarum*, *paraphraseon*, *fragmentorum*, *epistolarum*, *aliorumque monumentorum* compilationes! quid de *Græcis orthodoxis*, de *Italiis sacris* de *Galliis christianis &c.*! quid de *Sanctorum Patrum* variis editionibus, de *Conciliorum* collectionibus!

Quot aliena cum his, & quidem sæpe ubi minime quæreres, permiscentur! Quis tantas voluminum moles evolvere, qui saltem oculis perlustrare possit? certe quo magis multiplicantur, eo difficiliora fiunt studia, eoque ope-

rosior veri inquisitio . At unde mali origo ? Inde profecto , quod eum novi editores , quæ prius edita sunt , nec legant , nec legere possint , proindeque nec sciant utrum edita sint utpote in injustis compilationibus , vel alibi seorsim delitescentia, eadem iterum atque iterum sine fine semper edant , quia inedita credunt. Laudabile quidem illis benemerendi , sibique faciendi nominis consilium , sed tamen nescientes , tantum nocent & incommodant , quantum prodesse volunt ; & revera prodessent , si pauca , quæ nondum apparuerint , e tanta farragine seligerent , nec tam enormibus & supervacaneis & nullius commodi ordinis patientibus molibus sepelirent atque præfocarent . Res etiam utcunque tolerabilior esset , si quod edunt , veris auctoribus tribuerent , si veros , non fallaces titulos præfigerent , si accurate , non mendose ederent . Verum longe aliter se res habet : ille huic , hic illi assignat , quod ex superioribus editionibus neutrius esse certum est : alius alium titulum præfigit , neuterque verum proponit argumentum ; ut neque scriptor neque scriptus res a quærentibus agnosci possit , vixque ab attente legentibus & conferentibus exploretur : quæ ante ducentos annos integra & emendata prodierunt , lacera , mutila , mendis plene exhibent : quin etiam idem opus seu opusculum, eundem tractatum, eandem chartam, idem instrumentum , eandem homiliam , &c. discerpunt aliquando , & quod unius est , pluribus ,

quo-

quorum non est, dividunt, etsi res tota simul & cohærens, verique parentis gaudens nomine non semel sub prælo gemuerit; quidquid hinc & inde corradunt; quia manuscriptum & corrosum in angulo reperiunt, continuo, terminata omni disquisitione, velut ἀνέκδοτον magno pretio vendunt, licet antea, integris partibus, decies in vulgus exierit. Quantum chaos! Quot ferax errorum, qui inde in historiam cum ecclesiasticam tum profanam, & in totam rempublicam literariam irrepunt, crescuntque semper, & quidam eo securius, quod recentiores editiones quisque fidenter sequatur, vixque ullus, cum in illis quod quæritat tandem expiscatus est de veteribus consulendis, conferendisve cogitet, aut si cogitaverit, jam fessus ultra quæritare fastidiat!

Ex hoc chao aliud chaos nascitur, innumerarum scilicet dissertationum, annotationum, notarum, observationum redundantium in utramque partem, quibus impeditur & obruitur orbis litterarius.

Hæc secum, experientia duce, cum sæpius agitasset unus e nobis, diuque de necessario tot incommodis remedio cogitasset, aliud afferri non posse visum est, quam si index generalis seu bibliotheca texeretur, in qua *acta*, *vitæ*, *chronica*, *historiæ*, *libri*, *tractatus*, *bullæ*, *constitutiones*, *decreta*, *dissertationes*, *epistolæ*, *diplomata*, *chartæ*, *fœdera*, *liturgiæ*, *sermones*, *homiliæ*, *opuscula*, *instrumenta*, *cæteraque monumenta*, quæ, ut casus tulit, hinc

& in-

& inde dispersa sunt , & in compilationibus ac miscellaneis supra recensitis, alliisve, cuiuscunque generis sint , libris , extra proprias sedes errant, ordine alphabetico sub suorum auctorum nominibus indicarentur : citatis omnibus locis , in quibus quasi in totidem exiliis abdita & dissipata , ab oculis perspicacissimorum removentur. Aggredi ille opus , parare undique materiam . Crescentis tandem bibliothecæ jucundus eruditis *conspectus* , seu specimen apparuit. Sed quid unus messor in tanta, in immensa segete? Aliquanto post cum studia sociavimus , quod solus ipse secum agitaverat, sæpe agitavimus inter nos , quodque eum experientia docuerat , ipsa nos quoque inter vigilias quotidie docebat . Interim eruditorum promissi fidem requirentium epistolis fatigabatur , illasque nobis communicabat . Demum utile dulci præposuimus & ad præconceptum illum indicem generalem prosequendum , qui nobis prioribus foret usui, transtulimus animos. In huius instituto non pauca ex compacto mutavimus brevitatis , perspicuitatis , commoditatisque causa , ut ex duobus primis tomis , qui non ita multo post proxime succedentibus cæteris , prælo subjicientur , cernere erit.

Hoc est illud opus , quod , quantum aliæ patiuntur occupationes , adornamus . Hæc illius ratio . Ipsius ope , ut patet , quodvis instrumentum (idem dicendum de cæteris) facile quisque inveniet, ubicumque latescat, nec amplius quisquam , quod sæpe contigisse vidi-

mus ,

mus, longe, late, diuque perscrutabitur, quod penes se habet & in musæo suo latere nescit. Ipsius ope, quicquid dissertationum, chronicorum, tractatuum, epistularum, &c. usquam editum est, editum esse constabit, & quoties editum sit: cumque illæ editiones aliæ aliis integriores ac perfectiores sint, varientque in infinitum, ex earum jam facili atque commoda collatione, si quid edatur, accurate edetur, neque tanquam ineditum edetur, nisi quod revera ineditum erit. Ipsius ope errantia & quasi profuga opuscula revocabuntur, multaque quasi e tumulo monumenta eruentur, quæ resuscitata non parum quasvis historias, sive generales sive particulares, quarumvis nationum illustrabunt, diversoque emendabunt errores. Denique ex nostro labore aliquid redundabit luminis in nobiles familias, quarum chartæ & diplomata latibulis occulta lustrabuntur, atque ea, quæ tantum sub impositis in baptismo nominibus prodierunt, sub gentilitiis redibunt in lucem, propria enim familiarum nomina diligenter perquisivimus, & unaquæque quicquid ad se pertineat, sub proprio nomine, quoad ejus fieri potuit, una serie indicatum in indice nostro reperiet. Hic est ordo.

Primo auctoris nomen decernimus; rei deinde exponimus argumentum; tum omnia loca, ubi res extat, citantur; sequuntur fragmenta; adduntur, ubi opus sit, notæ criticæ, ac si quis alicubi ea de re disseruerit, indicatur.

Præ-

Præterea si sub falso nomine, quod contigit non infrequenter, instrumentum aliquod notum sit, falsum nomen suo loco ponimus; & remittimus statim ad verum, quod suo ordine reperietur, eandemque methodum, ubicunque, & quocunque in casu ob faciliorem usum res ita postulat, retinuimus.

Quod ad ss. Patres attinet, sparsa sub eorum nominibus scripta in quatuor classes distribuimus: 1ª. est operum, quæ vera ipsorum sunt opera: 2ª. dubiorum: 3ª. supposito-rum, quorum auctores cognoscuntur: 4ª. Supposito-rum, quorum auctores ignorantur.

Ne quid vero commodi desideretur, quod præstare potuerimus, ad marginem e regione cuiusque articuli rejicitur ordo chronologicus; quo scilicet quisque auctor tempore vixerit, quo floruerit; quo quisque rex, quisque imperator, quilibet papa creatus sit & mortuus; quo quodlibet datum sit instrumentum.

Ad calcem addemus indicem materiarum, ut qui auctorum, quos quærant, nomina ignorant, ex ipso ordine materiarum eos detegere possint, & consulere, quodcunque tractandum argumentum instituerint, sicque quicquid sive ex antiquioribus sive ex recentioribus scriptis ad institutum opus perficiendum conducere queat, in promptu exploratum habeant.

Plura dicere de ratione huius blibliothecæ alphabeticæ nihil necesse est, præsertim si legatur specimen, cuius jam mentionem fecimus.

Su-

Superest ergo tantum ut pauca quædam apponamus exempla, quibus, quæ diximus, confirmentur. Hæc non ita in contracto aridoque stylo hic proferemus, ac in Indice leguntur : non enim jam operis methodum, que ex ante dictis satis innotescit, ob oculos ponere volumus, sed eam, quam solam quæsivimus, probare utilitatem, atque ostendere, quantam documentorum copiam, iis, quos, quo diriguntur, nec non pigebit, parere valeant steriles numeri incultumque parciloquium.

Doctissimus Mabillonius Analectorum t. 2, p. 18, libellum seu homiliam *de muliere chananæa* ex manuscripto codice germanensi retulit, eamque s. Laurentio tribuit, huic nempe qui Sigeberto cognominatur *Melifluus*. Quisnam vero Mellifluus ille esset indaganti ibid. in annotationibus p. 39 & 40, alius esse ei visus non est, quam quidam Laurentius ex novariensi episcopo factus mediolanensis archiepiscopus, quem Margarinus Bignæus, duarum homiliarum, quas vulgavit, auctorem esse suspicatur. Qui ut Bignæi nostri suspicionem in certam sententiam commutaret, in auxilium appellat Ennodium, qui Laurentium impense laudat *ob patientiam malorum quæ ipsi ex adversariorum factione semel & iterum contigerunt*, quod apte congruit auctori dictæ homiliæ, qui multa quoque passus est. At cum in tabulis episcoporum novariensium nullus unquam Laurentius reperiatur, non æquo animo in Martyrologio mediolanensi, Mabillonii coniectu-

ras tulit Bosca, cumque tamen hæc homilia inter ecclesiæ maioris Novariæ tabulas servetur, aliaque homilia *de duobus temporibus*, quam laudat mabillonius, eadem omnino sit cum concione de Eleemosyna, quam Carolus basilica s. Petri in Novaria sacra adscribit s. Laurentio presbytero novariensi & martyri, eidem pariter priorem de Chananæa homiliam adscripsit. Lazarus-Augustinus Cotta novariensis, dictam homiliam protulit cum notis ad lectorem, inter quas plurima erant monumenta scriptorum de eodem sancto Laurentio. Tandem surrexit r. p. Josephus Maria de Novaria, ex Ordine Capucinorum, qui quam potuit, validissimis argumentis, tum ex ratione temporum, tum ex rerum examine, coacervatis, decretorio judicio superiores homilias presbytero novariensi adjudicare visus est. Hæc omnia referiunt severi Bollandistæ, nec tamen hic possessorem turbant. *Act. SS. Julii, t.6, p.* 443, *n.* 55, 48.

Vides, illustrissime vir, quot auctores torserit hæc quæstio, quantasque peperit dissertationes. Sexcentas alias eiusmodi proferre possemus, quæ non minus feraces fuerunt. Attamen superflua omnino est tota hæc eruditionis supellex, nec nisi & literatis & reipublicæ literariæ incommodare potest. Hæc homilia *de Muliere Chananea*, quæ tot viros doctos exagitavit, ut alicui Laurentio asserent, ipsissima est homilia *de Chananea*, quæ inter opera s. Chrysostomi græce & lati-

he legitur, quæque ex Savilio, cui ultimus editor subscribit clarissimus Monfalconius s. Doctoris genuinus est fœtus. Sed unde tantus tamque diuturnus error? alia versio est a vulgari, nemoque cum græco textu contulit. Hinc qui homiliam istam alicui Laurentio dederunt, de cognomine homilia, quæ apud s. Chrysostomum legitur, quasi diversum opus fuisset, ne verbum quid fecerunt, & vicissim qui in homiliam eandem inter opera s. Chrysostomi annotationes ediderunt, de quovis Laurentio plane tacuerunt, atque ipsemet Monfalconius, qui neque aliorum conjectationes vel leviter tetigit.

Illam quidem ut spuriam recusat Fronto-Ducæus, sed, sive jure, sive injuria, inde melior non fit presbyteri novariensis conditio: etenim græce ne, an latine concionatus ille est? si Græce (quod certe non crederet r. p. Josephus Maria de Novaria) quis in latinum? si latine, quis in græcum vertit, aut quæ græce vertendi utilitas? uter primigenius textus? cumque alius alio plenior sit & incorruptior; uter depravatus? uter interpolatus? uter decurtatus? Quot novæ quæstiones? sic fœcundus est primus quisque error. Sane quidem cuiuscunque sit hæc homilia, s. Chrysostomi, (quod cum Savilio & Monfalconio existimamus) vel cuiusvis alius, Laurentii nullius seu novarensis seu mediolanensis est.

Manuscriptorum indefessus scrutator Martenius in Thesauro Anecdot. t. 5, col. 377 unde-

decim homilias ut ineditas, easque sub nomine Bedæ, exhibet. Harum tamen una, quæ undecima est, in illud Math. 8, 2, 23. *Ascendens Jesus in naviculam, Marten. ibid. col.* 378. Origeni tribuitur in *Homiliario Doctorum* Basileæ anno 1493 edito ubi legitur fol. XL, & in alio opere, cui titulus : *Homiliæ sive conciones præstantissimorum virorum Ecclesiæ Catholicæ doctorum ab Albino Flacco collectæ.* Coloniæ 1576 p. 164, nec non & in Combefisii *Bibliotheca Concionatoria*, t. 1, p. 740: ac demum inter ipsius Origenis opera Lutetiæ Parisiorum edita anno 1610 part. 2, p. 286, atque in his omnibus locis emendatior prodiit quam in marteniano Thesauro. Sex aliæ nempe II, IV, V, VI, VII, IX extant inter ipsius Bedæ opera Coloniæ 1612 t. 5, col. 343, 456, 464, 470, 490, 521 hasque editiones conferenti non paucæ occurrent differentiæ.

Actuosus idem Martenius cum *Wichodi* seu *Vighaldi* quæstionum in Octateuchum treviris manuscriptum codicem offendisset, quæstiones in prima Geneseos capita excerpsit, easque, ut ineditas, rem non ingratam, seu ut loquitur, *non injucundum eruditis facturus*, edi curavit in *amplissima collectione*. t. 9, col. 293. At pace illius dixerimus, gratius profecto aliquid jucundiusque fecisset, si non sic inutiliter hoc defrustasset opus, illiusque frusto satis amplam aliunde collectionem non auxisset suam, utpote cum illud totum & integrum sub nomi-

mine Bedæ, quod solum animadvertendum fuit & corrigendum, inter eiusdem Bedæ opera Coloniæ 1612 vulgatum sit tom. 8, col. 78.

Christ. Godofredus Hoffmannus in *nova scriptorum & monumentorum collectione*, Lipsiæ in 4o. 1731, t. 1, p. 633, quasi *nondum typis exscriptum*, ut ipse loquitur p. 508, edidit memoriale cardinalis Bellarmini ad Clementem VIII, quod tamen jam inde ab anno 1670 Parisiis in vulgus emiserat Claudius *de la Place* in libro *de clericorum sanctimonia & de singularitate beneficiorum*, p. 581.

Alia innumera eiusmodi exempla suppeditare possemus, & quidem adhuc mira magis; sed nova quæstio, quæ hocce tempore per domos ubique movetur, alio nos vocat, illisque supersedere jubet. Huic eo libentius faciemus satis, quod non modo nos a proposito non avertat, verum etiam præsenti & quasi vivo argumento demonstret, quanti momenti sit in promptu reperire posse ope alicuius indicis, an & quæ & quando & ubi sanctorum Patrum cum opuscula tum opusculorum fragmenta sparsim edita sint.

Nuper inventæ sunt in monasterio gottwicensi duæ Epistolæ sub nomine sancti Augustini, quæ primum anno 1732 Viennæ Austriæ, & hoc ipso deinde anno Parisiis in lucem prodierunt. Suntne revera sancti doctoris opus? hoc quærunt omnes.

Id ut exploratum compertumque haberemus, inquit editor parisiensis, *hac in re cura omnis nostra brevi abjecta est, simulque, summa lætitia affecti sumus; quippe utramque epistolam non solum in Possidii indiculo consignatam, sed etiam epistolam ad Optatum a d. Fulgentio memoratam, plurimumque probatam fuisse invenimus.*

Vere quidem; sed hæ epistolæ quæ nuper foras exierunt, eædemne sunt atque illæ, quas Possidius & sanctus Fulgentius memorant? hoc rursus omnes interrogant, nec respondet laudatus editor.

De priore epistola ad Petrum & Abrahamum nihil novi nunc occurrit, quod id, quod 2° interrogant diluamus. Sed de posteriore ad Optatum vel male suspiciosis omnem tollemus dubitationem; adeo palmare illius γνησιότητος suppetit argumentum.

Scilicet Eugypius, qui exeunte sæculo quinto florebat, quique Thesaurum ex sancti Augustini operibus conflavit, magnam huius ad Optatum epistolæ partem retulit cap. CCCXLV fol. 101 edit. Colon. 1542 ex quo siquidem est integram Epistolam modo vulgatam, illam ipsam revera esse, quam scripsit s. Doctor, quamque Possidius & sanctus Fulgentius memorant.

Nec tantum ad hoc opportunum est illud excerptum. Ex eo enim quæ vitiata sunt & corrupta in manuscripto codice gottwicensi, & inde in utraque editione vindobonensi &

Parisiensi, & in hac male divinando male correcta, recte corrigi & sanari possunt.

Cum vero eugypianum opus rarissimum sit, non abs re nobis visum est, si amplum illud fragmentum cum præfixo titulo hic exhiberemus, & quod utrobique varium infra textum sub aspectu subiiceremus.

FRAGMENTUM

EPISTOLÆ SANCTI AUGUSTINI

Ad Optatum, prout extat apud Eugypium.

Utrum singillatim a Deo Creatore lineamenta formentur, & de animæ quæstione ..... ex duabus epistolis ad Optatum. Caput CCCXLV.

Ego enim adhuc *Fol.* 101, fateor, non inveni, quemadmodum anima & peccatum ex Adam trahat (unde dubitare fas non est) & ipsa ex Adam non trahatur: quod mihi diligentius inquirendum, quam inconsultius asserendum est... Quando autem nos aliquæ causæ, in aliqua quæstione non immerito dubitare compellunt, non etiam hinc dubitare debemus, utrum dubitare debeamus. De dubiis quippe rebus, sine dubitatione dubitandum est. Vides,

quemadmodum Apostolus de se ipso dubitare non dubitet: *utrum in corpore, an extra corpus*, raptus sit in tertium cœlum: sive hoc, sive illud. *Nescio*, inquit (*a*), *DEUS scit*: Cur (*b*) ergo mihi, quamdiu nescio, dubitare non liceat, utrum anima mea, in ista vita (*c*) ex propagine, an sine propagine venerit? cum eam utrolibet modo a summo & vero Deo factam esse, non dubitem? Cur mihi non sit fas dicere, scio animam meam ex opere Dei subsistere, & prorsus opus Dei esse, sive ex propagine, (*d*) sicut illa quæ primo homini data est, *nescio*, *Deus scit*? Unum (*e*) horum, vis, ut confirmem: possem si nossem (*f*), quod (*g*) ipse nosti. En habes me cupidiorem discere quod nescio, quam docere quod nescio (*h*): sic cum (*i*) nescis sicut ego, ora sicut & ego, ut sive per quemlibet servum suum, sive per seipsum, magister ille, nos doceat, qui dixit discipulis suis: *ne velitis dici ab hominibus Rabbi; unus est enim Magister vester*, CHRISTUS: si tamen sit expedire nobis

(a) In ed. vindobonensi & parisiensi Epistolarum duarum s. Augustini seu edit. bened. noviss. omittitur, *Inquit*.
(*b*) In edit Eugypii male, *cum*.
(*c*) Edit. benedet. *in istam vitam*.
(*d*) In edit. bened. additur, *sicut corpus, sive extra propaginem*.
(*e*) Edit bened. *Utrum*.
(*f*) In Eugypio aliter interpungitur: quod alium reddit sensum.
(*g*) Edit bened. *si*.
(*h*) Edit. bened. *quod scio*.
(*i*) Edit. bened. *si autem nescis*.

bis, ut etiam talia noverimus, qui novit non solum quid doceat, verum etiam quid nobis discere expediat. Nam confiteor dilectioni tuæ cupiditatem meam: cupio quidem & hoc scire, quod quæris sed multo magis cuperem scire, si fieri posset, quando (*k*) præsentetur desideratus omnibus gentibus, & quando regnum sanctorum futurum sit, quam unde in hanc terram venire cœperim: & tamen illud, quum ab illo, qui scit omnia, discipuli sui, nostri Apostoli, quærent, responsum acceperunt: *non est vestrum scire* (*l*) *tempora, quæ Pater* (*m*) *posuit in sua potestate*. Quid si & hoc scit, non esse nostrum scire (*n*) tempora quæ Pater posuit in sua potestate: utrum autem originem animarum, quam nondum scio, utrum (*o*) sit scire, id est, pertineat ad nos id scire, non solum affirmare quamdiu nescio: verum (*q*) etiam quærere jam desisterem. Nunc autem quamvis tam sit obscurum atque profundum, ut plus illic docendi caveam temeritatem, quam discendi habeam cupiditatem; tamen & hoc etiam vellem (*r*) scire si

(*k*) forte *repræsentetur*.
(*l*) In edit bened. additur, *tempus aut tempora*.
(*m*) Edit. bened. *Deus*.
(n) In edit. bened. hæc adduntur, *qui profecto scit, quid nobis sit utile scire? & illud quidem per illum scio, non esse nostri scire tempora, &c.*
(*o*) Edit. bened. *nostrum*.
(*p*) Edit bened. *nec*.
(*q*) In edit. Eugypii male, *utrum*.
(*r*) Edit. bened. *volo scire si possum*.

possem. Et licet multo amplius sit necessarium, quod ait ille sanctus: *Notum mihi fac Domine finem meum*. Non enim ait, initium meum: (*s*) utinam tamen, nunc initium quod ad istam quæstionem attinet, me lateret. Verum de ipso quoque initio meo ingratus doctori meo non sum, quod animam humanam, spiritum esse, non corpus, eumque rationalem, vel intellectualem scio: nec eam Dei esse naturam, sed potius creaturam aliquatenus mortalem, in quantum (*t*) deterius commutari, & a vita Dei, cuius participatione beata fit, alienari potest: & aliquatenus immortalem, quoniam sensum, quo ei post hanc vitam, vel bene vel male sit, amittere non potest. Scio etiam non eam pro actibus ante carnem gestis includi in carne meruisse: sed nec ideo esse in homine sine sorde peccati, nec (*u*) *si unius diei*, sicut scriptum est, *fuerit vita eius super terram*. Ac per hoc scio, ex Adam per seriem generationis, sine peccato neminem nasci, unde & parvulis necessarium est, per gratiam generationis in CHRISTO renasci. Hæc tam multa, nec parva, de initio vel origine animarum nostrarum, in quibus plura sunt, ad eam scientiam pertinentia, quæ fide constant, & didicisse me gratulor, & nosse con-

(s) Locus in edit. bened. mutilus ex Eugypio restituendus, in quo tamen, loco *nunc* substituenda particula *non*.
(*t*) Edit. bened. *in*
(*u*) Edit. bened. *&*.

confirmo. Quapropter si nescio in origine animarum, utrum illas Deus hominibus ex propagine (*x*) faciat, quas tamen (*y*) fieri non ambigo; scire, quidem & hoc magis eligo, quam nescire, sed quamdiu non possum, melius (*z*) hinc dubito, quam velut certum confirmare aliquid audeo, quod illi rei sit forte contrarium, de qua dubitare (*a*) forte non debeo. Tu itaque, mi frater bone, quoniam consulis me, & vis ut unum horum definiam, utrum animæ cæteræ omnes, ex illo uno homine, sicut corpora per propaginem, an sine propagine, sicut illius unius, a creatore singulis (*b*) fiant. Ab ipso enim fieri, sive sic, sive sic, non negamus; patere, ut etiam ipse consulam, quomodo inde anima peccatum originaliter trahat, unde originaliter ipsa non trahitur: omnes enim animas ex Adam trahere originale peccatum, similiter non negamus, ne in pelagianam hæresim detestabilem detestabiliter (*c*) irruamus: si hoc quod ego interrogo, nec tu scis, sine me patienter utrumque nescire, quod tu interrogas, & quod ego. Si autem jam scis quod interrogo, cum hoc etiam me docueris, tunc & illud quod vis ut respon-

(*x*) In edit. bened. additur, *an sine propagine*.
(*y*) In edit. bened. additur, *ab ipso*.
(*z*) In Eugypii edit. aliter interpungitur.
(*a*) In edit. bened. deest, *forte*.
(*b*) In edit. bened. omittitur, *singulæ*.
(*c*) In edit. bened. omittitur, *detestabiliter*.

deam, nihil ibi tam (*d*) metuens respondebo. Peto ergo, ne succenseas, quia non potui confirmare quod quæris, sed potui demonstrare, quid quæras; quod cum inveneris, confirmare non dubites quod quærebas. Et hoc quidem sanctitati tuæ scribendum existimavi, qui propaginem animarum, jam quasi certus improbandam putas. Cæterum si illis, qui hanc asserunt, rescribendum fuisset, fortassis ostenderem, quemadmodum id quod se nosse arbitrantur, ignorent. Et ne hoc asserere auderent, quanta ratione formidare deberent, ostenderem. (*e*)

His exemplis satis (ut arbitramur) elucubrationis nostræ confirmatur utilitas, pene adjecimus, atque necessitas. Plurimum nobis præstitisti, plurimumque tibi debemus, vir illustrissime, quod tuis studiis (nam ubicumque sis, sive in patria, cuius ornamentum es, sive alibi terrarum, in musæo semper es) aliquid succisivi temporis tam amice substraxeris, ut hisce nostris impertirere. Sed petendi fiduciam auget experta semel benevolentia, neque etiam timemus, ne tibi, tantopere studia veneraris, hoc petendo molesti simus. Te ergo etiam atque etiam rogamus & obtestamur, ut nos, qui tanto in pelago navigamus, certe syrtes, forte adversos etiam ventos fluctusque ex-

(*d*) In bened. male, *intuens jam:* male quoque corrigitur in notis.

(*e*) In edit. bened. deest, *ostenderem*.

experturi, consiliis, monitionibus, præstanti eruditione tua juvare velis. Certe non sumus, quos ita juves, omnino indigni, si quid apud te sit summa existimatio, qua te prosequimur, sumus honos, quo te, jam diu antequam tuo conspectu frueremur, colebamus; si quid, grati memoresque sensus, quibuscum tibi.

VIR ILLUSTRISSIME

Et summus & erimus semper
Addictissimi,
SALMON.
DE SAINT-AUBIN
DELALANDE
DIGAULTRAY.
DE VILLEVIELLE.

Datum in Ædibus nostris Sorbonicis V. Cal. Martias. An. MDCCXXXIV.

ALL' ILLUSTRISS. SIGNOR

MARCHESE LUIGI SALE

NOBILE VICENTINO.

Quando ebbi negli scorsi giorni l' onore di qui riverirvi, signor marchese, e vi parlai del nuovo erudito libro *del Teatro Olimpico di Andrea Palladio in Vicenza*; dato alla luce dal signor conte Giovanni Montenari, nobile della stessa città, come voi udiste benignamente alcune cose da me indicatevi: così, avendole io adesso insieme unite, ve le esporrò più distintamente in questa lettera; ben certo che gradirete il buon genio di ricercare nuove ragioni per l' esame di una asserzione in materia erudita, che veggo essere controversa. Le proposizioni, per le quali esser non vi può una prova dotata delle prerogative delle geometriche dimostrazioni, sempre guadagnano qualche cosa (perchè si scopra la verità) quando sono di più in più esaminate. Quindi l' amore del signor conte Montenari per la ricerca del vero mi assicura che questa libertà di esprimere il mio sentimento sarà a lui pur grata: e che, nonostante il nostro allontanamento nel dare diversi pesi a diverse ragioni, ci accosteremo però, come quelli che miriamo ad un medesimo fine.

Ma avanti ogni cosa vi replicherò, riputar-

tarsi da me, che debba riuscire di molto onore all' autor suo il sopraddetto libro, in cui molta dottrina, e molta erudizione ben apparisce, ed in cui elegantemente si pongono in chiaro lume le bellezze di quel teatro, il quale è una delle più eccellenti strutture, che sieno state architettate dopo la ristorazione delle scienze e delle belle arti. La vostra e sua patria sarà tenuta al signor conte Montenari, perchè la solidità, i commodi, le proporzioni e gli ornamenti di quella bell' opera sino ad ora non potevano esser noti sennon alle persone che si portassero a vederli e considerarli, ma da qui innanzi potranno anco dalle persone lontane essere conosciuti. Io di esso libro veduto già aveva il principio manoscritto: ed avrei potuto dappoi vederlo intero, se impedito non mi avessero e le troppe occupazioni, e un onesto riguardo di dir parere intorno a quelle tali cose da altri scritte, intorno le quali io parimente scriveva, procurando d' illustrare la dottrina de' teatri da Vitruvio lasciataci, ma scriveva studiando ancora, perchè non era senza qualche dubbio rispetto ad alcuni difficili luoghi. Ma al presente mi spiace di non averlo allora tutto veduto: perchè con sincerità al signor conte il sentimento mio (checchè possa questo valere) certamente esposto avrei intorno a quel (*p.*78.) luogo verso il fine, in cui egli si prende da impugnare questa proposizione: *che teatri antichi di pietra vi sieno stati di figura circo-*

lare tutto all' intorno, nè della più comune struttura.

Veramente io mi trovo in diversa opinione rispetto alle ragioni addotte contro la proposizione medesima; nè credo che per cagione di essa contraddire si possa al suo nobile celebratissimo autore, di cui ed avere io debbo, ed ho una massima estimazione. E per esporvi ora essa mia opinione; noterò, che il signor conte, volendo provare inutili le autorità addotte in conferma della proposizione predetta, si prefigge di giugnere a questa conclusione, cioè; che (*p.*82) *anticamente venissero confusi i nomi di teatro e di anfiteatro, e che gli antichi autori prendessero indistintamente il nome dell' uno per quello dell' altro*. De' luoghi, di cui egli si serve, come di mezzi conducenti alla conclusione indicata, la forza sembra essere in tre di essi; uno di Plinio, e due di Dione.

Osserva adunque il signor conte, *pag.* 80. che *Plinio al l.*36, *c.*15. *chiamò anfiteatro di Pompeo quello che pur era teatro*: indi prova che veramente quello teatro fosse; ed è vero. E' vero ancora che il luogo di Plinio nella edizione aldina si legge così *Tom.* 3, *pag.* 258; *cum Pompeii amphiteatri* e così in molte edizioni: ma tal lezione io la credo depravata. Del che ne ritraggo un forte argomento da un eccellente codice manuscrito di Plinio, che tra gli altri molti e rari, nella preziosa sua libreria, conserva il signor Giambattista

Re-

Recanati nobile veneto di rare doti di animo e di ingegno, ornatissimo. In esso codice il periodo contenente il luogo in quistione, è tale: *Cavea ipsa cepit hominum octoginta millia cum populo. An in theatro totiens multiplicata urbe: tantoque maiore populo sufficiat large sedere? Reliquus apparatus tantus &c.* nè si leggono punto le parole, *Pompei amphiteatri*; anzi il senso viene a riuscire diverso da quello, che apparisce nelle edizioni: e per ciò ho creduto tanto più degno di esre riferito il luogo del codice sopraddetto.

Nè però sono stato io il primo a sospettare di questo luogo: già quasi due secoli lo aveva riprovato Guglielmo Filandro, che (*Vitruvius cum Annotat. G. Philandri. Lugd.* 1152. *p.*91.) scrisse: *Mendosi sunt omnes pliniani, qui adhuc prodierunt, codices, in quibus libri trigesimi sexti capite quinto & decimo, pro pompeiani theatri, legitur Pompeii ampitheatri.* E come li critici osservarono qualche volta alterata la compartizione delle lettere di altre parole, così si potrebbe da tale osservazione conghietturare anco l' origine di questo errore: essendo credibile che le ultime lettere *am* (così scritte) di *Pompeiam* staccate da questa parola sieno state apposte alla parola *theatri*, e che sia stato scritto *Pompei amtheatri*; onde poi questa ultima parola sia stata presa per una abbreviatura che significasse *amphiteatri*.

Ma

Ma comunque siasi dell' origine dell' errore : certamente il p. Gio: Harduino , tanto versato ne' libri di Plinio , (*C. Plinii Historia naturalis . Parisiis . 1723. fol. Tom. 11, pag. 744.*) restituì quella lezione come segue, *cum pompeiani theatri*, e ne ha addotta la ragione : (*Nel citato Tomo pag. 762. Nota xv.*) scrivendo così : *cum pompeiani theatri* &c.) *Sic totidem plane litteris , apicibusque regius Codex , cum in libris ad hunc diem editis , Pompei ampitheatri legatur :* indi aggiugne : *hæc verba , pompeiani theatri ex suo exemplari Pincianus vidit scribi hoc loco oportere :* il quale *Pinciano* io lo credo Ferdinando Nunnez de Guzman , detto *Pincianus* perchè era di Valladolid , latinamente *Pincium* : questo spiegò pubblicamente la storia naturale di Plinio nella università d' Alcala ; e il di lui giudicio è stimatissimo dagli eruditi . Pertanto le autorità di Filandro , del p. Harduino , del Pinciano e del regio codice mi fanno credere che la vera lezione debba essere *pompeiani theatri* ; e (per conseguenza) che Plinio non abbia preso il nome di *anfiteatro* per quello di *teatro* .

De' luoghi poi di Dione il primo è al libro 43 , il secondo al libro 51. Conforme al volgarizzamento del signor conte , il primo è questo : (*pag. 72.*) Cesare *fabbricò di legno un teatro cacciatorio , il quale ancora anfiteatro fu denominato dall' avere i sedili tutto all' intorno senza scena :* il secondo : *Tauro Statilio perfe-*

zio-

zionò a sue spese un teatro cacciatorio di pietra, nel campo marzo, e lo dedicò con certame gladiatorio. Varie sono le opinioni degli uomini: a me questi due luoghi apprestano una conghiettura contraria a quella, che dagli stessi ne deduce il signor conte. Osservo, che Dione, in amendue i luoghi predetti, alla parola *teatro* aggiugne *cacciatorio*: quindi arguisco, aver Dione concepito, che senza l' aggiunto *cacciatorio* la sola vnce *teatro* non avesse potuto significare quell' edificio, differente dal *teatro*, di cui egli intendeva di ragionare. Ed infatti gli aggiunti ben sono da considerarsi, e fanno alle volte mutare ad un certo modo natura alle parole, cui sono connessi; divenendo esse parole simili alle translate. Sicchè a me sembra, potersi dai due luoghi di Dione dedurre, che la combinazione di quelle due voci *teatro cacciatorio* sia stata adoperata per significar quell' edificio, che *anfiteatro* ancora fu detto: ma non già che il nome di *teatro* (semplicemente) ed il nome di *anfiteatro* si prendessero indistintamente l' uno per l' altro.

Passo alla figura del teatro, della quale il signor conte determina la descrizione, per provar poi, che di figura diversa da quella descritta, cioè di figura circolare tutto all' intorno, non vi sieno stati antichi teatri. (*p.*83.) Scrive egli così: *il teatro era di giusta circolare figura solamente per metà, cioè dal-*

dalla parte della orchestra, e de' gradini; essendo dall' altra parte opposta di figura rettangola per comodo della scena e del pulpito. Nè ciò è detto senza un fondamento, che avrebbe dovuto essere sicuro; perchè tale figura appunto attribuirono a' teatri de' Romani nelle loro delineazioni (*Vitruvius editus anno* 1711. *pag.* 50. *b.*) F. Giovanni Giocondo, (*Vitruvio stampato del* 1521. *pag.*LXXXI *b.*) Cesariano, (*Vitruvio, tradotto del* 1567. *pag.* 249.) monsignor Daniel Barbaro, e (*Vitruvio corrigez & traduitz anno* 1684. *pag.* 173.) monsieur Claudio Perrault. Tuttavolta siami lecito di dubitare, perchè veggo bensì appresso quegli autori le figure; ma non scorgo, nè come in tutte le parti le abbiano da Vitruvio ricavate, nè come possano ricavarsi. Ma aggiugne il signor conte, che quando non abbiansi prove più chiare, non si potrà credere, (*pag.* 83.) *che antichi teatri vi sieno stati di figura diversa da quella descrittaci da Vitruvio, la di cui testimonianza, e autorità in ogni genere di antica architettura è da preferire a quella di qualunque altro scrittore*. Ora posto volontieri di stare alla testimonianza, ed alla autorità di Vitruvio mi par che la questione si riduca al vedere se Vitruvio ci abbia descritto il teatro *di circolare figura per metà, e dall' altra parte opposta di figura rettangola*.

Ma intorno ad una tale quistione io facilmen-

mente vi esporrò il sentimento mio, confessandovi di non ritrovare ne' libri di Vitruvio alcun luogo, in cui egli asserisca; che la parte opposta alla metà semicircolare del teatro debba essere di figura rettangola: e nemmeno alcun luogo, da cui naturalmente dedurre si possa, che per questa parte di teatro la rettangola figura, o altra, egli abbia determinata.

E benchè dalle linee, le quali devono tirarsi come insegna Vitruvio (di tali linee fece (*pagina 76*) menzione pure il signor conte) sia ben certo questo, cioè, che la faccia della scena secondo una linea retta si dirigeva; sembrami però altrettanto certo, che da quelle linee non sia determinata punto la figura del recinto della proposta parte del teatro. Tanto più che dietro la faccia della scena vi dovevano essere altri luoghi, cui corrispondessero le tre porte che Vitruvio ordina nella faccia della scena medesima: ed invero tre luoghi dietro essa faccia ci lasciò disegnati monsignor Daniel Barbaro, e uno ben grande delineò monsieur Claudio Perrault, e chiamollo *Postscenium*. Ora i recinti di tali ultimi luoghi appartenevano anco al recinto della proposta parte del teatro. Ma come rispetto a questi niente ci lasciò di preciso Vitruvio, così mi sembra che da lui ricavare non si possa l'andamento del recinto di essa proposta parte. Nè per questo già nego che vi sieno stati alcuni

tea-

teatri con quella parte di rettangola figura ; ma bensì dico, parermi di poter conchiudere, che nè la testimonianza, nè la autorità di Vitruvio punto impediscano il credere, che vi sieno stati altri teatri di figura diversa da quella, che i soprannominati (peraltro rispettabili) autori hanno descritta. E quando nelle altre parti li precetti di Vitruvio fossero eseguiti, io non veggo perchè fatto si fosse contro la di lui dottrina, costruendo il teatro di figura circolare tutto all' intorno.

Ed a questo proposito potrei riferire qualche riflessione, da me fatta sopra una circonferenza di circolo, che descrivere si potrebbe intorno alle piante dateci dal Serlio (*Edizione del* 1600, *p.* 70.), e dal Desgotez (*Edifices Antiques p.* 291) del teatro di Marcello, ricordato pure dal signor conte (*pagina* 76). E potrei anco dire de' portici, di cui Vitruvio ci lasciò scritto (*lib.* 5 , *cap.* 9.): *Post scenam porticus sunt costruendæ* &c. rispetto alla constituzione de' quali portici io ho una opinione (nè mi par mal fondata nell' intero contesto di Vitruvio) differente da quella degl' interpreti dell' autor medesimo.

Ma ristringerommi a ciò che a me fa una massima impressione : ed osserverò che Leon Battista Alberti celebre per la sua erudizione, e per la dottrina nelle cose dell' architettura, ove determinò la figura dei teatri, scrisse così : (*De re ædificatoria lib.* 8. *Editionis anni* 1485

1485 *fol. v. verso*). *In hoc omnes convenere: ut in principio hemicyclum in area circumscriberent: hemicyclique cornua producerent. Sed ita alii rectis lineis, alii flexis. Qui rectis utebantur lineis, eas perducebant æquidistantes inter se usque adderent cornibus hemicycli quantum esset diametri quarta. Qui vero flexis utebantur lineis, illi quidem integrum perscribebant circulum: exque integro cycli ambitu quartam partem adimebant. Quod igitur residuum esset, theatro relinquebant.* E finalmente Gulielmo Filandro, niente all' Alberti inferiore in dottrina ed in erudizione, ci lasciò scritto: (*Vitruvius cum Annot. G. Philandri. Lugd.* 1552, *p.*175) *Erat enim theatrum veluti pars circuli dimidia, & eo amplius diametri quarta pars, si modo hemicycli cornua rectis & coæqualibus lineis producerentur. Nam cum flexis post semicirculum lineis uterentur, ex integro circuli ambitu quartam partem adimentes, quod reliquum erat, theatro dabant.*

Da questi due luoghi manifestissimo si rende che l' Alberti e Filandro, uomini peritissimi della dottrina dell' architettura e delle antichità, stabilirono chiaramente, che la figura del teatro fu alle volte determinata da tre quarte parti della circonferenza di un circolo: ecco adunque per tali casi una figura, da cui la rettangola figura è esclusa: ecco che anco quegli uomini eccellenti ci danno teatri in gran parte di figura circolare. Sic-

chè



chè il segmento A, che nasce dalla quarta parte della circonferenza del circolo, essendo una piccola parte dell' area del circolo stesso; niente parmi più facile e niente più naturale, che qualche architetto siasi pure servito di quel segmento A, con ragioni a lui note, e facilmente anco per luoghi utili dietro alla scena: e che in tal forma esso architetto data abbia al suo teatro la figura di un circolo intero. E l' Alberti e Filandro scrissero di assaissime cose che erano arrivate a loro contezza: è fortuna poi de nostri tempi se vengono ora osservate antichità, le quali additino qualche cosa di più, e se sieno da un dottissimo ed eruditissimo autore illustrate. Secondo il debole mio parere; come non è mai stata impugnata l' opinione dell' Alberti e di Filandro; che, parlando di teatri di bella struttura, asseriscono esservene stati degli antichi di figura circolare per tre quarte parti del recinto loro: così, da quelli teatri giustamente argomentando, si può conchiudere, che teatri antichi di pietra vi sieno anche stati *di figu-*

figura circolare tutto all'intorno, nè della più comune struttura.

Ora io sottometto, signor marchese, al saggio giudicio vostro queste ragioni, da cui è stata guidata l'opinion mia: che per le ragioni dapprincipio accennate, e per un onesto motivo, che voi sapete, ho creduto bene di esporvi: niente peraltro questa diversità di sentimento pregiudicando alla vera stima che ho della virtù e del merito del sig. conte. Se voi in questa mia lettera ritroverete qualche cosa che vi possa (almeno in parte) ricompensare della pena di leggerla, benchè sì lunga; io sarò contento. Per fine mi do l'onore di dirmi con pieno rispetto

Di V. S. Illustrissima.

Padova 28 Marzo 1734.

Umilissimo Divotissimo Servidore
Giovanni Poleni

Fine del Tomo vigesimo.